











1734.

Ord. Lett. Decano: d. p. d.

1. Conrad, Franciscus Cordus; ~~De fidejussione in majorem~~  
(ad disputationem <sup>publicam</sup> ~~inauguralem~~ ~~Alumni~~ ~~in~~ ~~den~~ ~~Princ~~ ~~instat.~~)  
~~summam quam quae debetur adhibito.~~
2. Conrad, Franciscus Cordus: De fidejussore in majorem  
summam quam quae debetur adhibito.
3. Conrad, Franciscus Cordus: De fideiussore et jure  
fideiussoris populi Romani.
4. Conrad, Franciscus Cordus: De executione citra  
processum non ex quovis documento ~~habito~~ per  
ord. pub. Med. Sax. recipi impetranda.
5. Guel, Johann Wilhelmus: De fideicommissis
6. Kressius, Dr. Paulus: De libetate in variis jure
7. Kressius, Dr. Paulus: De jure presentandi ~~ex~~  
rem Curialem in genere, et in circulo ~~Stromae~~ in  
personis in specie.



8<sup>o. t. 1</sup>  
8. Meres, Fr. Pallas: De gemine natura et indole  
vetustatis seu praescriptionis immemoralis

9. Puschius, Erhard: De bibliothecis Romanorum

102

103

104

105

106





*Faint, illegible handwriting, possibly bleed-through from the reverse side of the page.*






DE  
FECIALIBVS  
ET  
IVRE FECIALI  
POPVLI ROMANI  
PRAESIDE  
D. FRANCISCO CAROLO  
CONRADI

PROFESSORE IVRIS PVBLICO ORDINARIO  
ET ORDINIS SVI NVNC DECANO  
D. XXII. IANVAR. A. MDCCXXXIV  
IN IVLEO MAIORI  
PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR  
ANDREAS WAGNER  
LIPSIENSIS



HELMSTADII  
LITERIS BVCHHOLTZIANIS

1734, 3  
~~2044~~  
3

*Dr. Wagner's per. Conrad / de fecialibus.*



DE  
MONTAIGNE  
LES  
LIVRES ESPECIAUX  
ROBERT ROYAL  
BIBLIOTHEQUE  
NATIONALE





VIRIS  
CONSULTISSIMIS  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMIS  
DOMINO  
ANDREAE WAGNERO

REGIO AVLAE ET IVSTITIAE CONSILIARIO  
SCABINATVS LIPSIENSIS SENIORI  
CONSISTORII ECCLESIASTICI  
PRAESIDI

DOMINO  
THOMAE WAGNERO

HEREDITARIO IN ZWEYNAVNDORFF  
REGIO COMMISSIONVM CONSILIARIO  
CIRCVLI LIPSIENSIS ET LIPSIAE  
PRAEFECTO

PATRI ET PATRVO  
AD CINERES VENERANDIS  
SVSPICIENDIS



HANC DISSERTATIONEM  
STVDIORVM ACADEMICORVM  
PRIMITIAS  
QVAS ILLI  
OB AFFECTVM VTRIVSQVE  
ET MERITA PATERNA  
ETIAM ABSQVE VLLA NVNCVPATIONE  
IVRE SIBI VINDICARENT  
PII DEVOTIQVE ANIMI  
ET GRATAE MENTIS  
PERPETVVM MONVMENTVM  
D. D. D

ANDREAS WAGNER



CONSPECTVS DISSERTATIONIS  
DE  
FECIALIBVS ET IVRE FECIALI  
POPVLI ROMANI.

---

CAPVT I.  
DE  
NOMINE ET ORIGINE  
FECIALIVM.

- Nomen Fecialium unde sit?* §. I.  
*Quae recta eius scriptura?* §. II.  
*Origo Fecialium a Graecis,* §. III.  
*Κύριους in Italiam adlati. Per Aborigines,* §. IV.  
*Pelasgos,* §. V,  
*Tyrrhenos,* §. VI.  
*Apud Aequicolas Magistratus facti,* §. VII.  
*Inde plerisque Italiae populis Feciales,* §. IIX.  
*Numa Rex Feciales Romae fecit,* §. IX.  
*An vero Rex Ancus?* §. X.  
*Imo Numa Feciales instituit, Ancus ius feciale  
auxit,* §. XI.

CAPVT



CAPVT II.  
DE  
COLLEGIO, COOPTATIONE,  
INSIGNIBVS ET IVRIBVS FECIALIVM.

*Collegium Fecialium inter sacros ordines, §. I.*

*Numerus Fecialium, §. II.*

*Praeses Collegii, Pater patratus, §. III.*

*Cur patrem superstitem et filios habere debuerit?  
§. IV.*

*Patris patrati munus perpetuum, §. V.*

*Feciales e nobilissimis familiis assumti. Senatores,  
§. VI.*

*Dictatores, Consules, Praetores facti, §. VII.*

*Cooptati a Collegio, §. VIII.*

*Post Legem Domitiam in Comitibus tributis creati,  
§. IX.*

*Insignia Fecialium. A lineis uestibus abstinebant, §. X*

*Cur lanam lino praetulerint? §. XI.*

*Sagmina, §. XII.*

*Erant uerbenae, §. XIII.*

*Verbenae omnes herbae sacratae, §. XIV.*

*Nec uerbenae et graminis usus distinctus in bello  
et in foedere, §. XV.*

*Sanctitas singularis tributa uerbenacae, §. XVI.*

*Vnde*



*Vnde sanctitas uerbenis? §. XVII.*

*Quis Verbenarius? §. XVIII.*

*Feciales sancti, §. XIX.*

*Responsa et Decreta Senatui dabant, §. XX.*

*Per omnem uitam Sacerdotes erant. Apud eos pueri nobiles educati, §. XXI.*

*Auctoritas Collegii imminuta, desit sub Principatu, §. XXII.*

*Nomen Fecialium inter honores, et Patris patrati aliqua dignitas mansit, §. XXIII.*

CAPVT III.

DE

## FONTIBVS IVRIS FECIALIS POPVLI ROMANI.

*Iuris fecialis fontes communes, §. I.*

*Iuris fecialis Romanorum origo proxima ab Aequicolis, §. II.*

*Numae Leges de Collegio et officio Fecialium, §. III.*

*A Tullo Hostilio confirmatae, ab Anco Marcio auctae, §. IV.*

*Post Reges exactos retentae, §. V.*

*Nec tamen in XII. Tabulas relatae. Fabula de Oscis Tabulis explosa, §. VI.*

*Ius feciale magnam partem non diuulgatum. Acta Collegii Fecialium, libri et tabulae foederum, §. VII.*

CAPVT



## IVRE FECIALI BELLICO, EIVSQVE RITIBVS AC FORMVLIS.

*Romanorum uel iustitia in bello, uel ostentatio in-*  
*storum armorum. Feciales belli iudices, §. I.*

*Quodnam bellum iustum? Bella indicta PIA uocata.*

*Inde formula iuris feccialis: IVSTVM PIVMQVE*  
*BELLVM, §. II.*

*Romanis nullum bellum iustum, nisi indictum, §. III.*

*Indictio belli cum solenni litis contestatione col-*  
*lata, §. IV.*

*Clarigatio ab indictione discreta, §. V.*

*Legatio clarigationis causa missa. Quis clariga-*  
*tionem peregerit? §. VI.*

*Clarigatio erat condictio s. denuntiatio. Condi-*  
*cete erat repetere? §. VII.*

*Nec tamen clarigatio facta a Patre patrato. Ritus*  
*clarigationis et formula, §. VIII.*

*Conditionum uerba solennia in clarigatione. Dies*  
*XXX. solennes spatio deliberandi dati. Obte-*  
*statio Deorum quare LIVIO belli indictio? §. IX.*

*Fecialis Romam reuersus referebat ad Senatum.*  
*Relatio de bello in Senatu, et quomodo bellum de-*  
*cretum? §. X.*

*Aliquando Feciales iterum ad res repetendas missi,*  
*praefer-*



*praesertim ad ciuitates foederatas, §. XI.*  
*Ritus indictionis. Hasta sanguinea, §. XII.*  
*Carmen indictionis, §. XIII.*  
*Hasta olim in fines hostium emissa. Tandem in area  
ante aedem Bellonae supra columellam, §. XIV.*  
*Ius faciale induciarum, §. XV.*

CAPVT V.

DE  
**IVRE FECIALI FOEDERVM**  
EIVSQVE RITIBVS AC FORMVLIS.

*Fecialium munia circa Pacem, §. I.*  
*Fecialibus Foederum cura commissa, non soli Patri  
patrato, §. II.*  
*Foederum genera et conditiones diuersae, §. III.*  
*Foedus auctoritate Senatus et Populi tantum fieri  
poterat, §. IV.*  
*Ad foedus feriendum duo Feciales missi, aliquan-  
do plures additi, §. V.*  
*Decem legati, bellis confectis, ad res constituen-  
das missi, a Fecialibus diuersi, §. VI.*  
*Fecialium praefatio solennis in foederibus, §. VII.*  
*SCtum de foedere iussu imperatoris feriendo. Quid  
in eo PRIVI LAPIDES SILICES PRIVAEQVE VER-  
BENAE? §. VIII.*  
*Ritus faciendi Patrem patratum ad iusiurandum  
patrandum. Caput eius uerbenis tactum, expia-  
tionis causa, §. IX.* Foe-



*Foedera ante meridiem facta. Quod ex XII. Tabulis non repetendum, §. X.*

*Locus foederi in Vrbe feriendo Comitium. Nummus Gentis Mussidiae explicatus, §. XI.*

*Aræ factae et DIIS COMMVNIBVS dedicatae, §. XII.*

*Foederis leges a Feciali recitatae, §. XIII.*

*Sacrificium foederis causa factum, et in eo libamina primum oblata, §. XIV.*

*Hostia Romanorum in foedere quare sus fuerit? §. XV.*

*An porcus, an porca? §. XVI.*

*Porca lapide silice percussa, §. XVII.*

*Foederis ferendi ritus in nummis Gentis Veturiae et Antistiae, et in nummo coniurationem Italicam exhibente, §. XVIII.*

*Iusiurandum ad aras patratum, tactis aris ardentibus: eius concepta verba, quibus Pater patratum foedus sanciret. Iusiurandum a Rege, postea Consule aut Praetore factum, per Sceptrum, §. XIX.*

*In foedus iuraturi Deos inuocabant. Iusiurandum Patris patrati PER IOVEM DIESPITREM conceptum, §. XX.*

*Iurisiurandi PER IOVEM LAPIDEM ritus et formula. Illud in foedere Rex aut Imperator iurasse uidetur, §. XXI.*

*Iusiurandum in foedere PER MARTEM ET ENYALIVM, §. XXII. Execratio addita iuriurando. Precatio in foedere pro imprecatione, §. XXIII.*

*Differentiae inter Foedera et Sponsiones, quae sine iussu Senatus et Populi et sine Fecialibus fiebant, adeoque Populum non obligabant, §. XXIV.*

*Sponsorum deditio per Feciales facta, §. XXV.*

*Deditionis finis et effectus, §. XXVI.*

*Sponsores dediti hostibus, nec recepti, utrum ciuitatem amiserim? §. XXVII.*

*Feciales de iniuriis Legatorum indicabant, §. XXVIII.*





CAPVT I.  
DE  
NOMINE ET ORIGINE  
FECIALIVM.

§. I.

**N**omen Fecialium (a) plerique cum VARRONE (b) a fide publica, cui praeerant inter gentes, venire putant. (c) IO. FRID. GRONOVIVS, (d) motus auctoritate SERVII, (e) illud a foedere, quod olim pangebant, deducit. Alii Feciales a ferendis sagmini-

(a) Varias huius vocis etymologias congeffit GERH. IO. VOSSIVS in *Etymologico*, b. v.

(b) *Lib. IV. de Ling. Lat. cap. 15.* Feciales, ait, dicti, quod fidei publicae inter populos praeerant. Nam per hos fiebat, ut iustum conciperetur bellum, et ut foedere fides pacis constitueretur.

(c) ANDR. DOMINIC. FLOCCVS de *Poessat. Roman. Lib. I. cap. 9.* CLASEN. in *Theos. cent. Part. III. Cap. I. §. 16.* IOH. ROSINVS

*Antiqu. Rom. Lib. III. cap. xi. aliique.*

(d) *De Pecun. vet. pag. 411.* POMP. LAETVS de *sacerd. Rom. cap. IX. et* IO. BAPT. CASALIVS de *Verb. ac Imp. Rom. splend. Part. III. cap. 2.*

(e) *Ad Aeneid. Lib. VI. v. 242. et Lib. XII. v. 113.* nec tamen sibi constat SERVIVS, cum alibi in verso ordine foederis appellationem a fecialibus deducit ad *Lib. I. Aeneid. v. 16.* Foedus dictum a fecialibus, qui olim fedales dicebantur i. e. sacerdotes, per quos fiebant foedera,



gminibus, (f) alii a *fando*, (g) quasi *Fatiales* seu sacros oratores dictos credunt. Grauis auctor nobis est PLVTARCHVS, (b) a re, quam *faciebant*, *Feciales* appellatos esse, cuius sententiam, praeter NONIVM MARCELLVM, (i) confirmat FESTVS. (k) Hic enim uim et rationem nominis explicat: *Feciales*, scribens, a *faciendo dicti*: Nam apud hos belli pacisque *faciendae ius est*. Quare si ea nominis origo, quae regulis etymologicis et ipsi rei optime conuenit, praeferranda est, ut PLVTARCHI coniecturam sequar, facile persuadent, quae CHRIST. BECMANNVS (l) doctè pro illa dixerit.

## §. II.

Dubia nominis origo uariam eius et incertam, ut fieri solet, scribendi formam produxit, apud ipsos etiam ueteres auctores. PLVTARCHVM satis inconfranter, modo *Φρυσιαλίου*, (a) modo *Φριτιαλίου*, (b) modo *φριδιαλίου* (c) scribere, GVILXYLANDER (d) conqueritur. Apud DIONYSIVM HALICARNASSEVM (e) *Φετιαλίου* legitur: SVIDAS (f) *Φρυσιαλίου* exhibet. Haut meliore concordia literati lapides utrumque, *Fetialis* et *Fectalis*, ostendunt. Illud cernis in aeterno opere, in hac inscriptione: (g)

AXIVS.

(f) POLYD. VERGILIUS de Rerum Inuent. Lib. IV. cap. 14. et PEROTTVS Comment. ad Martialis, qui sub Cornu copiae titulo prodit.	faciendo, ut monet G.H. NIEVPORT Rit. Rom. Explicat. Sect. IV. Cap. 2. §. 9. not. h)
(g) MARTINIUS Lexico philolog. sub h. v. Conf. VOSSIVS de viuis serm. Lib. I. cap. 13.	(l) Orig. ling. lat. pag. 443.
(h) In Numa pag. 68. ed. Francos.	(a) In Numa pag. 68.
1599. Conf. CALEPINVS in dictionario ling. lat. h. v.	(b) In Camillo pag. 137.
(i) Cap. XII. m. 45.	(c) Quaest. Roman. LX.
(k) Hac v. ubi, pro feriendo, omnino legendum, quod exhibuimus,	(d) Ad Plutarchi Numam loc. cit.
	(e) Lib. II. pag. 131. ed. Lips.
	(f) In Lexico h. v.
	(g) Pag. MCVII. n. 4.



AXIVS. LEG. PRO. PR  
FECIALIS

hoc in alia eiusdem corporis GRVTERIANI; (b)

M. PONTIO. M. F. PV

L. AETIANO. LARCIO. SABINO. COS. PON  
TIFICI. SODALI. ANTONINIANO. VERIANO  
FETIALI. LEG. AVG. PR. PR. PROV. SYRIAE LEG  
AVG. PR. PR. PROV. PANNON. SVPER. LEG  
AVG. PR. PR. PANNON. INFER. COMITI. DIVI  
VERI. AVG. DONATO. DONIS. MILITARIB  
BELLO. ARMENIACO. ET PARTHICO. AB. IMP  
ANTONINO. AVG. ET. A. DIVO. VERO. AVG

et in alia: (i)

P. CORNELIO. P

LENTVLO. SCIPIONI

COS. PRAEF. AERARI

LEG. TI. CAESARIS. AVG

LEG. LEG. VIII. HISPAN

PONTIFICI. FETIALI

D. D.

Equidem hanc scriptionem *Fetialis* plerique tuentur cum  
ALDO MANVITIO: (k) illam tamen *Fecialis*, quam BECMAN-  
NVS (l) praetulit, et quae aliis quoque placuit Viris doctis,  
ipsa dictionis origo, in qua PLVTARCHI auctoritatem secutus  
fui, retinere iubet.

A 2

§. III.

(b) Pag. CCCCLVII. n. 2.

(i) Pag. CCCXCVI. n. 5. Pro-  
fert eandem ONVPH. PANVINIVS  
*de Civit. Rom. cap. XXXII* ubi ta-  
men ex omisso PONTIF. corruptum  
illud HISPANICI enatum est.

(k) *De Orthograph.* pag. 352. quem  
sequitur etiam IO. IENSIVS *de Fe-  
tialibus Pop. Rom. cap. I.* in *Ferculo li-  
terario* Lugd. Bat. 1717. edito.

(l) *Loc. cit.*



## §. III.

Plus momenti fitum est in ipsorum Feacialium originibus inuestigandis. Frustra enim sunt, qui eas ab antiquis Italiae populis repetendas censent. (a) Altius omnino ascendendum est, ut Feacialium natales extra Latium in Graecia quaeramus. Nec DIONYSIVS refragatur, qui Graecos τὸ περὶ τοῦ εἰρηνοδίας ἀρχείου habuisse negat. (b) Licet enim τοῦ ἀρχείου i. e. magistratu iuribusque ac potestate, qua Feciales in Republica Romana polluisse uidebimus, caruerint apud Graecos, idcirco tamen his omnem eorum usum fuisse incognitum, nec DIONYSIVS perhibet, nec quis forte contendet, qui non nesciat sanctum illud τῶν κρυκῶν nomen genusque, quod Mercurio dicatum (c) religiose semper habuerunt Graeci. Eadem uero omnino illi gerebant munia, quibus postea mutato tantum nomine apud Romanos functi Feciales. (d) Bella indicabant, foedus pangebant, pacem annunciabant, ideoque το κρυκῶν i. e.

(a) Vid. DEMSTERVS *paralip. ad ROSINI Antiqu. Rom. Lib. III. cap. 21. IENSIVS de Fetial. Pop. Rom. cap. 2.* Fefellit uero eos auctoritas VALE-RII PROBI et AVRELII VICTORIS, quos infra §. VII. explicandi occasio dabitur.

(b) *Lib. II. pag. 131.*

(c) Mercurius enim credebatur Deus sermonis, Deorum nuncius ac interpres, quo nomine a Graecis Romanisque cultus: AESCHYL. *Choeph. v. 163.*

Κρυξ̄ μέγιστε τῶν ἀνω τέ  
καὶ κατώ.

*Præco maxime Superiorum et Inferorum.*

HORATIVVS *Lib. I. Od. 10. v. 5.*

*Magni Iouis et Deorum  
Nuncium*

celebrat. Sicut et Pacifer dictus apud OVIDIVM *Metamorph. Lib. XIV. v. 291.* et in numis Pothumi. Vid. EZ. SPANHEMIVS *observat. in Pyn-dar. hymn. Dianæ v. 143.* CUPERI *Harpocrat. pag. 81.*

(d) Τῶν κρυκῶν usum passim reperimus inter Graecos adhibitum, apud THVCYDIDEM *de Bello Pælo. et apud HOMERVM. Sic Odyss. K. v. 59. et T. v. 244.* Vlyssæm comitem habuisse κρυκα tradit. Idem Vlysses mittens quosdam e sociis, dat eis comitem κρυκα *loc cit. v. 102.* Et pari ratione Priamus ad classem



i. e. caduceum, (e) pacis symbolum, manu gestantes inter medios hostes inuiolabiles censebantur. Testis est IVLIVS POLLVX, qui eos mysteriorum initiatoribus annumerans, haec tradit: (f) Τὸ δὲ τῶν κηρύκων γένος, ἱερὸν μὲν Ἑρμῶς, κατεκλήρυττε δὲ ἡσυχίαν, εἰ τε ἀγῶσι καὶ ἱεουργίαις· καὶ σπονδὰς προῆγγελλε, καὶ ἐκχειρίζεν ἐπηγγελλε, καὶ τοῦς ἀγῶσι δὲ ἀνεκλήρυττε. Et alio loco: Ἄσυλοι δὲ ἦσαν· καὶ ἐξῆν· αὐτοῖς πανταχόσε ἀδείας εἶναι. ἄσουλία, καὶ ἄσπονδία, σπονδοφορῆσαι, καὶ σπονδὰς ἐπιεργάζεσθαι, σπονδὰς ἀντιῆσαι. (g) Praeconum genus Mercurio sacrum est. Silentium autem promulgat in certaminibus et sacrificiis. Foedera annunciat, inducias indicit et certatores designat. Sacrosancti autem erant, et quocumque tuto illis proficisci licebat. Immunitas, pacis rescissio, foedera ferire, pacem afferre, libare, libationes petere.

## §. IV.

Quis uero non animaduertit, ipsum hunc τῶν κηρύκων usum a Graecis populis in Italiam illatum esse, cum singulas, quae belli pacisque certos ritus atque cerimoniam in praekonibus et legatis mittendis obseruarunt, Italiae gentes, oriundas e Graecia fuisse reperiamus. Aborigines primam omnium Graecorum coloniam sedes ibi fixisse, PORCII CATONIS, ANTI- OCHI SYRACVSANI aliorumque ueterum scriptorum testimoniis perhibet DIONYSIVS. (a) Hi uero, cum Rex eorum Latinus, ad Aeneam Troia profugum et fines eorum infestantem

A 3

tem

classem Archiuorum tendens, neminem praeter unum κήρυκα γεραί-  
 ἑρον secum duxit. Conf. IO. PHIL. PFEIFFER *Antiqu. Graec. Lib. II. cap. 49.* IO. POTTERVS *Archaeol. Graec. Lib. III. cap. 7.* EV. FEITHVS *Antiqu. Homeric. Lib. II. cap. 5.*

*Lib. IV. cap. 17. et ANT. VAN DALE Dissert. VI. cap. 5.*

(e) In cuius locum apud Romanos successerunt sagmina. De utriusque infra dicitur, Cap. II. §. XII. f.

(f) *Onomast. Lib. IV. cap. 12.*

(g) *Lib. VIII. cap. II.*

(a) *Lib. I. pag. 9.*



tem vi armisque pellendum, exercitum iam eduxisset, Troianos autem Graeco more armatos et servatis ordinibus Martis aleam exspectantes uideret, intermissa dimicatione subita, patrium morem tenentes miserunt caduceatores ad Aeneam, a quo alii uicissim ad Latinum missi. Rem omnem atque colloquium ducum a caduceatoribus impetratum, tum etiam foedus inter eos ictum exponit DIONYSIVS. (b)

## §. V.

Aborigines secuti sunt Pelasgi, qui, relicta Thessalia in Italiam delati, (a) cum Aborigines aduersus se magno cum exercitu uenientes cernerent, pacem Graeco ritu petendam statuerunt. Occurrunt itaque Aboriginibus gestantes oleae ramos, antiquissimum pacis symbolum, (b) expositisque fati suis, orant, ut in amicitiam et partem sedium recipiantur. Icto foedere in societatem recepti, urbes condiderunt, in quibus cum alia multa Graeci moris diutissime perstitisse, tum uero bellicas ceremonias e Graecia allatas sancte obseruatas fuisse, ex HALICARNASSEO discimus. (c) Ita enim ille:

ἐν ταύταις διέμεινε πολλὰ τῶν ἀρχαίων διατημάτων, οἷς τὸ Ἑλληνικὸν ποτ' ἐχρήσατο, ἐπὶ μήκιστον χρόνον, οἷον ὃ τε τῶν ὀπλῶν τῶν πολεμιστηῶν κόσμος, ἀσπίδες Ἀργολικαὶ καὶ δόρατα, καὶ ὁπότε παλῖμου ἀρχόντες, ἢ τοὺς ἰπιότητας ἀμυρόμενοι στρατὸν ὑπὲρ τῶν ὕρων ἀπεσέλλοιεν, ἰσροί λινες ἀνέρες ὄνοκλοι πρὸ τῶν ἄλλων ἴοντες σπονδοφόροι.

In

(b) Lib. I. pag. 46.

(a) DIONYS. Lib. I. pag. 16.

(c) Sic enim Aeneas apud VIRGILIVM Lib. IIX. v. 116.

Paciferaeque manu ramum protendit oliuae.

Caduceos Atheniensium fuisset ramos oleae, lana obuolutos, docet LACTANTIUS GRAMMATICVS ad

STATII Lib. I. Thebaid. v. 12. Vid. PFEIFFERI Antiqu. Graec. Lib. III. cap. 24. SVIDAS v. κυρῖκρον, pacis et amicitiae signum, cum coronis et ramis oliuae obuiam procedere apud Barbaros etiam fuisse, notat.

(c) Loc. cit. pag. 17. conf. DEMOSTER. paratip. ad ROSINI Antiquit. Rom. Lib. III. cap. 21.



*In his multa antiqui moris Graecanici longissimo tempore perdurarunt, ut armorum ornatus, Argolici clypei et hastae: et quoties illatum bellum, aut excepturi, ultra fines exercitum mitterent, sacri uiri absque armis cum libaminibus et foederum oblatione praeceutes ceteris.*

## §. VI.

Expulsis Pelasgis regionem eorum occupauit gens Tyrrenorum, quos Graeci Thufcos appellauerunt. Dubia uero est huius populi origo pariter, ac aduentus in Italiam incertus. DIONYSIVS indigenas existimat: (a) alii uero, quorum sententiae principes IDEM refert, Lydorum progeniem crediderunt. (b) Cum his facit PLINIUS: (c) *Hos* (Pelasgos) *exegere Lydi*, scribens, a quorum Rege Tyrreni, mox a sacrificio ritu, lingua Graecorum Thufci sunt cognominati. Similiter Thufcorum populos inferi maris oram possidentes, e Lydia uenisse, ex TROGO perhibet IVSTINVS. (d) Quamcunque coniecturam eligas, imo si nec aduenas, nec peregrinam fuisse coloniam dicas, admixtos tamen illis fuisse Graecos, continuo uelut impulsu ea aetate in Italiam delatos, forte non negabis. Certè cum DIONYSIVS (e) eos plurimas ac optimas Pelasgorum ciuitates occupasse tradat, non solum instituta ritusque in iis receptos iisdem retentos inde colligas, quia moribus et legibus a Pelasgis eos non adeo discrepasse idem obseruat, sed etiam insignis rerum diuinarum peritia cultusque facrorum, quo Thufcorum nomen meruerunt, sacros belli ritus illis fuisse, fidem faciunt. Quodsi Lydos fuisse, quod plurimi ueterum Scriptorum putarunt, admittas, belli etiam pacisque ritibus eosdem usos esse, haut repugnabis. Etenim  
Lydos

(a) *Lib. I. pag. 24.*(b) Coloniae Lydorum in Tyrreniam educationem describit HERODOTVS *Lib. I. pag. 45. edit. Henr. Stephani.*(c) *Histor. Natural. Lib. III. cap. 5.*(d) *Lib. XX. cap. I.*(e) *Lib. I. pag. 21.*



Lydos quoque in bellis et foederibus, quae Graeco omnino ritu feriebant, (f) τῶν κηρύκων usum adhibuisse, ex HERODOTO (g) intelligimus. Vnde patrium omnino morem, quem in Italiam aduenientes iam reperissent, procul dubio confirmarunt.

## §. VII.

A Tyrrhenis, quorum certe nomen tam late aliquando patuisse auctor est DIONYSIVS, (a) ut Latini, Vmbri, Aufones et alii sub eo comprehenderentur, Ardeates et Aequicolae, quos alii Aequos dicunt, (b) originem traxisse videntur, ab his vero demum aucto honore ac potestate addita Κηρύκες, qui perinde ac apud Graecos, (c) inter Italiae populos quoque sacerdotium solum ad hoc tempus obtinuerant, magistratus effecti, iuraque, quibus praeesent, ordinata sunt. Et quidem Sertorem Resium, Aequicolarum Regem, *ius feciale instituisse* memo-

(f) HERODOTVS Lib. I. p. 33.

(g) Lib. I. pag. 34. 35. et 38.

(a) Lib. I. pag. 23.

(b) Ita eos LIVIVS constanter appellat Lib. III. cum Lib. I. cap. 32. Aequicolas dixisset. Aequi etiam vocantur apud FLORVM Lib. I. cap. II. et apud VIRGILIVM Lib. VII. Aeneid. v. 695.

Hi Fescenninas acies Aequosque Faliscos,

Hi Soractis habent arces :

quamvis ibi Faliscos aequos i. e. iustos a Poëta dici notet SERVIVS: Quare Vir doctissimus IO. IENSIVS loc. cit. cap. 3. legendum censet apud VIRGILIVM: Aequosque Faliscosque, DIONYSIVS Εβικλοῦς, pag. 131. alias Αἰκωνος, licet et APTIANVS,

Αἰκωνος vero DIODORVS SICVLVS Lib. XIV. et STRABO, qui etiam Αἰκωνους, PTOLEMAEVS

Αἰκουίλωνος dixerunt. Vid. CELLARIVS Geograph. antiqu. Lib. II. cap. IX. Sect. 2. §. 342.

(c) SVIDAS in Lexico: Κηρύξ ἐν πολέμῳ, πρέσβυς ἐν εἰρήνῃ. Hoc vero sacerdotium gentilitium fuisse apud Athenienses, ex ATHENAEO Lib. VI. Dipsos. cap. 6. observat LOMEIER de Iustrat. genti. Cap. XIII. Apud Lacedaemonios Κηρύκας peculiariter ex illa gente, quae Talthybiadarum appellata, fuisse refert HERODOTVS, Lib. VII. pag. 487. eorum origi-



memorat VALERIVS, siue quis alius auctor est fragmenti *de nominum ratione*. Rhesum appellat AVRELIVS VICTOR, (*d*) de Anco Rege scribens: *Ius feciale, quo legati ad res repetundas uterentur, ab Aequicolis transfudit, quod primus fertur Rhesus excogitasse.*

## §. IIX.

Et ab his quidem gentibus ad plerosque Italiae populos, usus Feccialium transfuit. Noscitur illorum auctoritas apud Samnites ex eo, quod LIVIVS (*a*) refert, hos Brutulum Papium, qui ruperat inducias cum Romanis factas, ipsis per Fecciales dedendum decreuisse. Fuisse etiam Fecciales Albanis, comprobatur Patris patrati, tanquam eorum praesidis, mentio in foedere, quod cum hac gente fecerunt Romani sub Tullo. (*b*) Habuisse Fecciales Latini noscuntur ex illis LIVII: (*c*) *Aequi, aut Latinum agrum inuaserunt. Oratores Latinorum a Senatu petebant, ut aut mitterent subsidium, aut se ipsos, tuendorum finium causa, capere arma snerent.* Oratores enim ipsos Fecciales esse cognominatos, suo loco confirmabimus. Ac praeterea etiam Patrem patratum priscorum Latinorum in formula, qua Ancus Rex de bello illi populo inferendo consulit Romanos Patres, diserte nominari uidemus. (*d*)

## §. IX.

Romanos ante Numae tempora nondum habuisse Fecciales, pro certo ponit DIONYSIVS. (*a*) Romulus enim nouam urbem

originem, pariter ac PAVSANIAS *Laeonic*. repetens a Talthybio Agamemnonis caduceatore, cui diuinos honores Laedaemonii exhibuerunt, constructo templo et tributa eius gentilibus gratia et praecminentia, ut *κίρυκες* semper essent. CRAGIVS *de Republ. Laedaem. Lib. IV. cap. 6.*

(*d*) *De Viris illustribus cap. V. ubi uulgarem lectionem, Hesus, reicit SCHOTTIVS.*

(*a*) *Lib. IIX. cap. 39.*

(*b*) *LIVIVS Lib. I. cap. 24.*

(*c*) *Lib. II. cap. 30.*

(*d*) *LIVIVS Lib. I. cap. 32.*

(*a*) *Lib. II. pag. 132.*



hem vi et armis condidit ciuesque suos bellicae uirtuti affuefacere curauit. At successor in regno Numa, cuius inclita illo tempore erat iustitia religioque, ferocem populum armorum desuetudine mitigandum ratus, urbem iure legibusque ac moribus de integro condere parauit. (b) Quare et Deorum cultum instituit, et plurimorum sacerdotiorum auctor exstitit, inter quae Feccialium quoque sacrum collegium ordinasse a DIONYSIO (c) et PLVTARCHO (d) memoratur,

## §. X.

Ne tamen Fecciales apud Romanos primum a Numa creatos putemus, intercedere uidentur auctores Romani, secundum quos Anco Marcio huius instituti gloria debeatur. (a) Plane AVRELIVS VICTOR de Rege Anco scribit: (b) *Hic ius fecciale, quo legati ad res repetundas uerentur, ab Aequicolis transulit.* Idem SERVIUS testatur: *Anco Marcio, cum uideret Pop. Rom. ardentem amore bellorum, plerumque inferre gentibus, nulla iusta causa extante, et deinde pericula grauiora creari, misit ad gentem Aequicolanam, et accepit iura feccialia, per quae bella indicabantur.* Potissimum uero ob stare uidetur auctoritas LIVII, qui licet diligentissime res Numae et sacra ab illo instituta enarrauerit, nullam tamen huius sacerdotii fecit mentionem, sed institutionem Feccialium tandem sub Anco retulit his uerbis: (d) *Ut tamen, quoniam Numa in pace religiones instituisset, a se bellicae caerimoniae proderentur, nec gererentur solum, sed etiam indicerentur bella aliquo ritu, ius ab antiqua gente Aequicola, quod nunc Fecciales habent, descripsit, quo res repetuntur.*

## §. XI.

(b) LIVIVS Lib. I. cap. 19. DIONYSIVS Lib. II. pag. 122.

(c) Lib. II. pag. 131.

(d) In Numae pag. 68. et in Camillo pag. 137.

(a) Conf. ALB. GENTILIS de Legationib. Lib. I. cap. 12. IENSIUS de Feccialib. cap. 2.

(b) De Viris illustr. cap. V.

(c) Ad Aeneid. Lib. X. v. 13.

(d) Lib. I. cap. 32.



## §. XI.

Verum falua res est, et accurate STEPH. VINAND. FIGHIVS (a) monuit, Feciales Numam instituisse, Ancum vero iura Fecialium auxisse atque plenius ordinasse. Hic enim bellicas, ut ipse LIVIVS (b) haut obscure innuit, cerimonias addidit, hoc est, ut ante belli initia res repeterentur, illudque solemniter indiceretur. Apparet certe idem tam ex citatis AVRELIJ VICTORIS et SERVII locis, in quibus tantum iuris fecialis, cuius in rebus repetendis siue bello indicendo esset usus, fit mentio. Confirmat hoc LIVIVS, (c) dum Regem Tullum Hostilium legatos ad res repetendas misisse Albam et pie bellum indici mandasse, tum vero foedus cum Albanis a Patre patrato et Feciali Pop. Rom. omni veterum solemnitate adhibita ictum refert. Auget etiam HALICARNASSEI fides, quod is causam et occasionem instituendi magistratum Fecialium nobis indicauit his uerbis: (d) *Κλειρώσατο δὲ σύστημα τῶν Φετιαλίων Νομίς, ὅτε Φιδνώταις ἐμελλε πολεμῶν, ληστείας καὶ καταδρομὰς τῆς χάρας αὐτοῦ ποιησαμένοις, εἰ μὴ βούλοιντο συμβῆναι δίχα πολέμου πρὸς αὐτὸν, ὅπερ εἰς ἀνάγκην καταστάντις ἐποίησαν.* Collegium Fecialium instituit Numa, cum Fidenates agrum Rom. excursionibus et latrociniiis infestare ausos bello aggredi pararet, ni sine bello rem secum mallerent componere, quod tandem eis facere necesse fuit. Porro illos pacis curatores (e) et belli arbitros a Numa institutos, dubitare nos haut finit summum illud

B 2

(a) *Annal. Roman. Tom. I. pag. 39.*  
Add. NIEVPORT *Antiqu. Rom.*  
*Sect. IV. cap. II. § 7.*

(b) *Loc. cit.* Neque uero obstat, quod DIONYSIVS *Lib. II. pag. 131.* ubi institutionem Fecialium sub Numa exponit, simul ritus in bello indicendo usitatos describit. Ipse enim proficitur, se illo loco omnes Fecia-

lium ritus in gratiam Græcorum simul explicare uoluisse.

(c) *Lib. I. cap. 22. et 24.*

(d) *Loc. cit.*

(e) Tales enim significat graeca appellatio, dum εἰρηνοδίκας DIONYSIVS *loc. cit.* εἰρηνοφίλακας PLVTARCHVS in *Camill. loc. cit.* eos dicunt,



XII CAP. II. DE COLLEGIO, COOPTATIONE,

illud pacis, et ferocem populum armorum defuetudine mitigandi, studium, quo impulsus Ianum indicem belli pacisque fecit, (f) et propter quod Numam inter Reges Romanos pacis artibus insignem VIRGILIVS celebravit: g)

*Quis procul ille autem ramis insignis oliuae,  
Sacra ferens? nōsco crines, incanaque menta  
Regis Romani, primus qui legibus urbem  
Fundabat.*

CAPVT II.  
DE  
COLLEGIO, COOPTATIONE,  
INSIGNIBVS ET IVRIBVS  
FECIALIVM.

§. I.

Collegium Fecialium Romae fuisse perpetuum, ex DIONYSIO et LIVIO potissimum constat. Ille *ούρμα* eorum inter sacros ordines a Numa constitutum, eique septimam legum sacrarum partem dicatam, virosque in hoc collegium adlectos per omnem uitam isti sacerdotio consecratos fuisse, tradit. (a) Hic uero non solum Sacerdotibus Albanis Fecialem Romanum, foedus cum illis peragentem, opponit, sed etiam Consulem ad Collegium Fecialium ex Scto retulisse, diserte scribit, (b) atque alio tempore Feciales eodem modo consultos memorat. (c) Ac praeterea, Fecialium collegium fuisse separatim et a reliquis Sacerdotibus, parte illa religionis publicae ipsi demandata, distinctum, docet lex CICERONIS (d) de Fecialibus,

(f) LIVIVS Lib. I cap. 19.

(g) Aeneid. Lib. VI. v. 808.

(a) Lib. II. pag. 131.

(b) Lib. XXXVI. c. 3. Ut merito mireris, IENSIVM, an collegium

Fecialium fuerit, dubitare, de Fecialibus. c. 4.

(c) Lib. XXXI. c. 8.

(d) De Legib. Lib. II. c. 9.



libus, tum quoque ex TACITI Annalibus (e) apparet, ubi L. Apronio censenti, ut Feciales etiam, perinde ut Pontifices et Augures et Quindecimviri et Septemviri et Sodales Augustales suis magnis a Senatu decretis praesiderent, Tiberius Caesar contradixit, distincto sacerdotiorum iure.

## §. II.

De numero Fecialium definire paulo difficilior videtur. Diversis belli pacisque negotiis modo duos, modo tres, modo quatuor, modo quinque, imo saepissime decem adhibitos, infra uidebimus. Sed proinde incertum eorum numerum statim pronuntiare non licet. Neque, duos tantum ordinarios Feciales fuisse, colligat quis ex lege CICERONIS, quae in libris quibusdam sic editur: *Foederum, pacis, belli, induciarum, Oratores, Feciales, Iudices duo (a) sunt.* Locum enim scribarum foecordia temeratum atque uerbum *duo* prorsus omittendum esse, monuit IO. DOVIATIVS. (b) Quin potius uiginti Viris Collegium Fecialium constituisse, atque ex iis missos tot, quot singula legationum genera exigent, ADR. TVRNEBVS (c) obseruauit ex uerbis VARRONIS, *Lib. III. de uita Pop. Rom.* apud NONIVM (d) relatis: *Si cuius Legati uiolati essent, qui id fecissent, quamuis nobiles essent, ut dederentur ciuitati, statuerunt Feciales uiginti, qui de his rebus cognoscerent, iudicaret, constituerent.* Hinc apud LIVIVM (e)

B 3

eodem

(e) *Annal. Lib. III. c. 64.* Conf. ONVPH. PANVIN, *de Ciuit. Rom. c. 32.* ALB. GENTILIS *de Legat. Lib. I. c. 12.* NIC. GRVCHIVS *de Comit. Rom. Lib. II. c. 2.*

(a) Ita et GRVTERVS edidit, eamque lectionem praefert saltem uulgato, *ne*, aut quod in manuscriptis est, *non*, quem errorem inde ortum conicit, quod uirgula esset super binarium numerum sic: *ii*. Quid uero, si has literas non interprete-

mur notas numerales, sed dicamus esse demonstratiuum, *ii*, quod respicit ad *Sacerdotes*, de quorum officiiis TVLLIUS leges proponere coeperat?

(b) *Ad LIVIVM Lib. I. cap. 24.*

(c) *Comment. ad CIC. de Legib. Lib. II. cap. 9.*

(d) *Lib. III. cap. 12.*

(e) *Lib. XXXVIII. cap. 42. 45. et 46.*



eodem tempore, quo decem Feciales in Asia erant, alii adhuc in Vrbe fuisse memorantur.

§. III.

Ex horum numero unus *maximus* erat, qui, tanquam *caput et magister Fecialium*, (a) collegio praefidebat. (b) Is dicebatur PATER PATRATVS: quod eius nomen etiam in uetusto marmore (c) superest:

D. S. I. M  
P. ACIL. PISONIANVS  
PATER. PATRATVS  
QVI. HOC. SPELEVM. VIOL  
IGNIS. ABSVMPTVM  
COMPARATA. AREA. A. REPVBL  
MEDIOL. PECVNIA. SVA  
RESTITVIT

Causam huius appellationis tradit PLVTARCHVS, (d) quod nemo, nisi, ὁ πατήρ ἢ καὶ παῖδες εἶσιν, i. e. cui uiuo parente filii essent, munere hoc fungi poterat: Patratum uero idem esse, ac συμπεπερασμένον ἢ πεπερατωμένον, *absolutum et perfectum*, quippe hunc, qui parente uiuo pater factus esset, aliis perfectiorem iudicauerint ueteres. Aliam uero nominis rationem suggerere uidetur LIVIUS, (e) *Sp. Fufum, a M, Valerio Feciali ad uisurandum*

(a) Μέγιστον τῶν Φητιαλίων  
dicit PLVTARCHVS *Quaest. Rom.*  
LXI. SERVIUS ad *Aeneid. Lib. IX.*  
v. 53. *Magistrum et caput Fecialium:*

(b) Vid. LAETVS *de Sacerdot.*  
*Rom. cap. 9.* ALEX. AB ALE-  
XANDRO *Lib. V. Gen. Dier.*  
c. 27. M. DONAT. *Dilucidat. in*

LIV. pag. 1. IO. EAPT. CASALIUS  
*de Urb. ac Imp. Rom. Splend. part. III.*  
cap. 2.

(c) Apud GRVTERVM p. XXXIV,  
n. 9.

(d) *Loc. cit.*

(e) *Lib. I. c. 24.* vid. POLYD.  
VERGIL. *de Rer. Inuent. Lib. IV.*  
cap. 14. LAETVS l. 6.



randum patrandum, hoc est, sancendum foedus Patrem patratum factum esse, scribens. PLVTARCHO maior pars assensit. (f) Nec de causa, quare ille Feccialium princeps Pater uocatus fuerit, satis constat: quam tamen optime affecutus uidetur MARCELLVS DONATVS, (g) non aliam esse ratus, quam ex qua Senatores Romae Patres (h) appellati. Patrare uero proprie significat facere et constituere: quam significationem hic retinendam censet DOVIATIVS. (i) Est itaque Pater patratus dictus tanquam Populi Romani Pater, ad iusiurandum eius nomine peragendum, publice factus et constitutus.

## §. IV.

Et eandem fuisse causam, quare Patrem patratum, teste PLVTARCHO, (a) et patrem superstitem et filios habere oportebat, affirmare non dubito: quia scilicet nec in Senatum alius quis a Romulo fuerit adlectus, nisi qui parente liberisue esset conspiciuus: (b) cum tales maiorem omnino Reipublicae curam et salutis communis rationem habituros esse, prouide iudicaret. Atque hoc ipsum innuit PLVTARCHVS: Η δει τὸν ὄρκων ἔ ἐπιρήνεις πρώτ' ἀμενοι ἄμα πρόσω ἔ ὀπίσω κατ' Ὀμυρον ὁ, ἄ; εἰη δ' ἂν μάλιγα τοῦτος ὡ καις ἐστ-ιν ὑπέρ ἔ βυλεύεται, και

(f) Conf. GER. IO. VOSSIUS in *Etymol. CHR. BECMANNVS de Orig. Ling. Lat.* pag. 814. IO. FVNGER. in *Etymol. Graeco-Lat.* h. v.

(g) Dilucidat. in LIVIVM pag. 2. cui etiam assensit BECMANNVS l. c.

(h) PLVTARCHVS in *Romulo* p. 24. causas, quare Senatores dicti sint Patres, has adfert: vel quod liberorum ingeniorum Patres essent, vel quod ipsi suos patres ostendere possent, id quod non multis contingebat ex iis, qui primi in ciuitatem confluxerant,

DIONYSIVS *Lib. II. p. 83.* Inferioris fortunae homines plebeios uocauit: potioris uero Patres, siue quod aetate anteirent alios, siue quod haberent liberos, siue propter claritatem generis, siue propter haec omnia. Add. FESTVS v. Patres, GODELEVAEVS in *LIV. Lib. I. cap. 8.*

(i) In not. ad *LIV. Lib. I. c. 24.*

(a) *Quaest. Rom. LXI.*

(b) PLVTARCH. in *Romulo* p. 24. *LIVIVS Lib. I. cap. 8.*



ὁ πατήρ μετ' ἐβλήνεται. i. e. Aut iurisiurandi et patris praefidem oportet simul, ut ait Homerus, prosum et retrosum videre? id vero maxime praestare possit, qui et filium habet, de quo consultet, et patrem, quocum deliberet. Frustra uero CATVLLVM, (c) ubi ad Venerem ita loquitur:

Quae tuis careat sacris,  
Non queat dare Praefides  
Terra finibus:

Praefidis appellatione Patrem patratum designare crediderunt quidam Viri docti, interquos ALCIATVS et GVARINVS. (d) Ecquis enim non uidet, Poëtam generali Praefidum appellatione quoscumque terrarum rectores complexi uoluisse? idque IS. VOSSIVS (e) pluribus probauit.

## §. V.

Sicut ipsam Feacialium collegium uidimus perpetuum fuisse, ita principis eorum ac praefidis perpetuum quoque munus, pariter ac in Pontificum et reliquis Sacerdotum collegiis, fuisse, extra omnem dubitationem positum diceremus, nisi negotium facessero alii, temporarium Patris patrati honorem et auctoritatem, eumque in foedere solummodo ad iusiurandum patrandum, in bello autem indicendo ad recitandum carmen solenne, hastamque in hostium fines proiciendam, creatum existimantes. (a) ANT. CLAR. SYLVIVS (b) duas species Patris patrati fuisse, contendit: alterum quidem constitutum a uerbenario fuisse ad foedus sancendum, alterum electum è collegio

(c) Carm. LXII. v. 71.

(d) Ad CATVLLI loc. cit. Vid. ALB. GENTIL. de Legat. Lib. I. cap. 12.

(e) Ad b. l. Quamuis Praefides prouinciarum, quos non licuerit esse coelibes, intelligi malit MVRETVS in Commentar. ad eund. locum.

(a) POLYD. VERGILIUS de Rep. Inuent. Lib. IV. cap. 14. MARCELL. DONATVS Diuicidas, ad LIV. pag. 1.

(b) Ad Leges Regias et XII. Tabb. cap. 12.



collegio Feacialium, ad bellum denunciandum: utrumque tamē fuisse Feaciale. Atque his opinionibus fauere uidetur LIVIVS, c) de foedere inter Romanos et Albanos scribens: *Feacialis erat M. Valerius. Is Patrem patratum Sp. Fufium fecit, uerbena caput capillosque tangens.* Nec minus praefidii quaeritur apud SERVIVM d) et DIONYSIVM, e) cum ille Patrem patratum ad hostium fines profectum clara uoce res repetiisse, eaeque nisi darentur, praelium annuntiasse, dicit, hic eum, qui caduceatoriam suscepturus erat legationem, electum esse Feaciale e collegio, tradit. Verum enimuero DIONYSIVS isto loco nullam Patris patrati, clarigationis munere perfuncti, mentionem facit: quin, unicuique Feacialium illud obtingere potuisse, infra ostendemus. f) Itaque ipsa DIONYSII ac praeterea PLINII g) auctoritas merito uincet SERVII fidem, in Romanis antiquitatibus haud semel errantis ac decepti. Imo uero ipsum sibi contrarium deprehendimus SERVIVM, dum *Patrem patratum dicit principem Feacialium*: nemo autem dubitabit, cum pacata esset ciuitas Romana, magno quandoque annorum spatio, non fuisse collegium Feacialium sine praefide, neque eo carere potuisse, cum pacis tempore de negotiis ad ipsum pertinentibus consuleretur atque decreta et responsa daret. Porro nec LIVIVS aliter sentientes iuuat, qui foederis ferendi cerimoniam solum refert, non describit electionem Patris patrati, atque inter istos ritus exponit, quomodo ad faciendum foedus et sacra peragenda Pater patratus solenniter fuerit confirmatus, ut populi totius nomine iusiurandum patrandi haberet potestatem. Declarat hoc ipse ritus a LIVIO memoratus, *Patrem patratum a Feaciali seu uerbenario tactum esse uerbenis*: quem in sacris usitatum morem alio loco explicabimus. h)

C

Quid

c) *Lib. I. cap. 24.*d) *Ad VIRGIL. Aeneid. Lib. IX.*

v. 53.

e) *Lib. II. pag. 131.*f) *Cap. IV.*g) *Hist. Nat. Lib. XXII. c. 2.*h) *Cap. V.*



Quid tandem? addimus PLVTARCHVM, *i*) qui, adhuc sua aetate, docet, priuilegium et auctoritatem aliquam retinuisse Patrem patratum, ut Praetores corpora, quae ob formam et florem aetatis custodia opus habebant pudica, eorum fidei commendarent. At quomodo hoc dici potuisset de Patre patrato, ad tempus creato, et negotii tantum unius peragendi caula?

## §. VI.

Ad splendorem collegii Feccialium pertinet, quod non quilibet ex uulgo ciuium, sed ii solum, qui ex nobilissimis Romanorum familiis oriundi essent, in illud cooptari potuerunt. Etenim sicut Magistratum, ita et Sacerdotiorum honores, tanquam proprios Patricii fecerat Romulus. *a*) Idque secutus Numa pleraque Sacerdotia in Patricios contulisse, Fecciales uero ἐκ τῶν ἀρίστων οἰκῶν selegisse memoratur a DIONYSIO. *b*) Hinc, regnante Tullo Hostilio, M. Valerium et Sp. Fufium, quorum utriusque gens clarissima, hunc Patris patrati, illum Feccialis munere functos fuisse, iam ex LIVIO obseruauimus. Quamuis autem ex hoc ipso Sp. Fuffii exemplo appareat, non Patricios solos, uerum et plebeios e praestantioribus familiis ad sacerdotium Feccialium admissos fuisse: nullum tamen inde argumentum accedit eorum opinioni, qui Senatores fuisse Fecciales negant. Equidem ZAMOSCIUS *c*) et SYLVIVS, *d*) praecipui huius sententiae patroni, nituntur loco LIVII, *e*) ubi, postquam Cos. Sulpitium de bello Macedonico consuluisse col-

legium,

*i*) Quaeft. Rom. LXI.*a*) DIONYSIVS Lib. II, pag 82  
Vid. SIGONIVS de Antiqu. Iur. Ciu.  
Rom. Lib. I. cap. 9.*b*) Lib. II, pag. 131, Ἐισὶ δ' ἐκ τῶν ἀρίστων οἰκῶν ἄνδρες ἐπιλεκτοί, διὰ παντός ἱερωμένοι τῷ βίῳ, Νομᾷ τῷ βασιλείαςπρότε καὶ τῷτο Ρωμαίους τὸ ἱερὸν ἀρχεῖον κατασκευασμένῃς.  
Conf. ONVPH. PANVINIVS de Ciuit. Rom. cap. 32.*c*) De Senatu Rom. cap. 10.*d*) Ad Leges Reg. et XII, Tabb. cap. 12.*e*) Lib. XXX, cap. 8.



legium Feacialium, scripserat, haec subiicit: *Consuli a Patribus permiffum, ut, quem uideretur, ex iis, qui extra Senatam essent, Legatum mitteret ad bellum Regi indicendum.* At uero ex his uerbis potius intelligimus, fuisse illo tempore Feaciales quosdam Senatores, quos mitti nollent Patres, quoniam illorum in Vrbe praesentia opus esset. Ita enim prorsus imminente periculo Senatus statuere solebat. Sicut cum bello aduersus Antiochum apparando intenta esset ciuitas, P. Cornelius Cos. edixit: *Qui Senatores essent, quibusque in Senatu sententiam dicere liceret, quique minores Magistratus essent, ne quis eorum longius ab Vrbe abiret, quam unde eo die redire posset, ne uero uno tempore quinque Senatores ab Vrbe abessent. f)*

## §. VII.

Imo uero cum Feaciales ex praestantissimis familiis electi eo sacerdotio per omnem uitam fungerentur, fieri aliter non potuit, quin multi ex illis Dictaturam, Consulatum, Praeturam et reliquos Magistratus maiores simul gesserint, utque in alia Sacerdotum collegia etiam fuerint cooptati. Sic enim A. Cornelius Aruina, teste LIVIO, a) Dictator creatus est, quem, ut Feacialem, in coetu Samnitium et ad Tribunal Pontii uerba fecisse, idem refert. b) Et P. Cornelium Lentulum Scipionem, Consulem et simul Legatum Tiberii Caesaris et Feacialem legimus in marmore apud GRVTERVM, itemque in alio, Axi-um Legatum ProPraetore Feacialem, et in alia inscriptione Larcium Sabinum Consulem, Pontificem, Sodalem Antoninianum Verianum, Feacialem, Legatum Aug. ProPraetore prouinciae Syriae, Legatum Aug. Pro Praetore prouinciae Pannoniae superioris atque inferioris, Comitem Diui Veri Aug. Quae monumenta singula iam supra descripsimus. c) Sic decem illi Feaciales, quos ad res Asiae disceptandas componendasque

C 2

f) Lib. XXXVI. cap. 3.

a) Lib. VIII. cap. 38.

b) Lib. IX. cap. 10.

c) Cap. I. § 2.



XX CAP. II. DE COLLEGIO, COOPTATIONE,

dasque a Senatu missos paulo ante diximus, omnes, excepto Cn. Cornelio Merula, erant Viri Consulares et Praetorii. *d)*

§. VIII.

Cooptatos olim Feciales esse a Collegio, pariter ut ceterorum collegiorum sacerdotes subrogabantur per collegas, *a)* recte coniecerunt GRVCHIVS *b)* et PANVINIVS. *c)* Erat enim penes Fecialium Collegium publicae religionis pars, *d)* non minus necessaria, quam quae erat apud Pontifices, XV Viros S.F. et VII Viros Epulonum, quos a collegio cooptatos confat. *e)* Et hinc Feciales uel a Pontifice, sicut Flamines creatos, uel post primam constitutionem a Numa factam, a Magistrati- bus subrogatos, nusquam omnino reperimus.

§. IX.

Quod si, Feciales primis temporibus habuisse potestatem collegas subrogandi, concedimus: necesse est, ut eadem ratione, ac reliqua Sacerdotum Collegia, eos cum populo de illo iure certasse atque cooptandi facultate tandem excidisse coniciamus. *a)* Ac primus quidem C. Licinius Crassus Trib. Pl. A. V. C. DCV III. cooptationem Collegiorum ad populi beneficium transferre tentauit lege lata, quam tamen Laelii dissuassione ac religione Deorum immortalium antiquatam ex CICERONE *b)* cognoscimus. Verum secuta A. V. C. DCL. C. Mario III. et L. Aurelio Oreste Coss. Lex Domitia, a Cn. Do- mitio

*d)* Vid. LIVIVS *Lib.* XXXVII. *cap.* 55. Conf. THEOD. REGN. DE BASSEN *de Iurciur. veterum Rom.* *cap.* 4. §. 14.

*a)* Confer. SIGONIVS *de Antiqu. Iur. Ciu. Rom. Lib.* I. *cap.* 9. MAN- NVT. *de Legib. cap.* 2.

*b)* *De Comitibus Romano. Lib.* II. *cap.* 2.

*c)* *De Ciuit. Rom. cap.* 32.

*d)* DIONYSIVS *Lib.* II. *pag.* 131.

*e)* Vid. LIVIVS *Lib.* XL. *cap.* 42.

*a)* Conf. MANVTIVS *de Legib. Rom. cap.* 2. SIGONIVS *l. c.* GV- THERIVS *de Ver. Iur. Pontif. Lib.* I. *cap.* 9.

*b)* In Laelio, *cap.* 25.



mitio Ahenobarbo, Tribuno plebis, lata, ut sacerdotes, quos antea collegae sufficiebant, populus crearet; c) quam abrogatam a Sulla d) mox restituit A. V. C. DCXC. T. Atius Labienus, auctore Iul. Caesare, e) iterumque a M. Antonio sublata f) reduxit Pansa. g) Hac itaque Lege in comitiis tribuitis a XVII. tribubus, ut reliquos sacerdotes, ita et Feciales electos, conuicimus, donec omni, quae antea Populi fuerat, potestate in Principes translata, horum solo arbitrio crearentur.

§. X.

Plurimum quoque dignitatem Collegii augebant insignia, quibus uenerabiles et sancti efficiebantur omnino Feciales. Constitutebant illa in uestimentis et gestaminibus sacris. Ita enim DIONYSIVS HALICARNASSEVS a) perhibet, qui eos in sacris denuntiationibus, ἐθῆρι καὶ φορέμασιν ἱεροῖς κεκοσμημένους, ueste et gestaminibus sacris exornatos fuisse, dicit. Et quidem a lineis uestimentis eos abstinuisset, SERVIVS docet, ad illa VIRGILII: b)

*Alii fontemque ignemque ferebant,*

*Velati lino,*

notans: Atqui Feciales et Pater patratus, per quos bella uel foedera confirmabantur, nunquam utebantur uestibus lineis. Et a Romano ritu id alienum est. Vnde dicimus, errore id factum, ut lineae uestis adhiberetur, contra morem, ad foedera, quae futura non erant

C 3

firma

c) VELLEIVS PATERCVLVS Lib. II. cap. 12. ubi hunc annum indicat. In Fastis tamen Capitolinis est annus V. C. DCXLIX. C. Mario II. et C. Fimbria Coss. Conf. PIGHIVS Annal. Rom. Tomo III. pag. 153. Meminit eiusdem Legis CICERO Agrar. II. cap. 7. SVETONIUS in Nerone cap. 2.

d) ASCON. PEDIANVS in CIC. Diuinat. in Verrem.

e) DIO Lib. XXXVII. pag. 46.

f) IDEM L. XLIV. in fin.

g) CICERO ad Brutum Epist. 5.

a) Lib. II. pag. 132.

b) Lib. XII. Aeneid. v. 120.



*firma.* Quare iustam reprehensionem incurrit THOM. FARNABIVS, c) Feciales lineis uestibus, plane pro more sacrorum, d) indutos fuisse putans. Attamen corruptum VIRGILII locum quibusdam veterum Grammaticorum ac nominatim CAPRO et HYGINO uisum esse, idem SERVIVS postea tradit, eosque ueram lectionem, *uelati limo*, confirmasse. *Limus autem, subiicit, est uestis, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poporum: haec autem uestis habet in extremo sui purpuram limam, i. e. flexuosam, unde et nomen accepit.* e) Certe APPIANVM Feziali sacram stolam coloris ad purpuram accedentis tribuere, ALBER. GENTILIS f) obseruauit.

## §. XI.

Verum enim uero in isto, quo de agimus, VIRGILII loco explicando non ueteres solum interpretes, sed ipsum quoque SERVIVM errasse arbitror. Fefellit eos uelamenti ratio, quo totum corpus Feccialium, utpote ueste, operiri putarunt, cum tamen Pöeta capitis uelamen significare uoluerit. Ex LIVIO a) enim constat, Fecciales bella indixisse capite uelato: et quidem non lino, quod contra morem fuisset, sed lana sacrum uelamen

c) *Ad hunc VIRGILII locum.* Vid. IO. SAVBERTVS *de Sacrificiis* c. 9. ubi opinionem FARNABII refellit.

d) Alias quidem sacerdotes omnino lineis uestibus utebantur, in quo omnium fere gentium mores conuenisse, notat PIER. VALERIANVS *Hieroglyph.* pag. 299. Conf. SAVBERTVS l. c. BRAVN. *de uest. Sacerd. Hebr.* Lib. I. cap. 6. §. 9. STVCK. *de Sacrificiis* p. 120. LOMEIER. *de Iustrat. gentil.* cap. 34.

e) Erat limus proprie uestis poporum seu uictimarium in sacrificiis, cuius mentionem quoque fecit HY-

GINVS *de limit. constituend.* p. 160. ideo, quod purpuram transuersam haberet, dictam scribens. *Limum* enim notat obliquum s. transuersum, FESTVS b. v. Conf. OCTAV. FERRARIUS *de re uest. lib. I. cap. 9.* STVCK. l. c. pag. 109. LOMEIER. l. c. c. 35. TVRNEB. *Aduers. Lib. XI. cap. 1.* PETR. PITHOEVS *Subisf. Lib. I. cap. 2.*

f) *Lib. I. de Legationib.* cap. 18. a) *Lib. I. cap. 32.* Vid. IAC. SCHEGKIVS *praemess. epist.* 10. SAVBERT. l. c.



men confectum esse. Verba LIVII sunt: *Legatus ad fines eorum uenit, unde res repetuntur, capite uelato. Filium lanae est uelamen.* Nihil itaque obstat, quo minus etiam VIRGILIVM secundum religionem Fecialium scripsisse, *uelati lana*, credamus cum ANT. CLAR. SYLVIO, *b)* qui in hoc loco restituendo multum operae locauit, simulque inquisiuit in causas, quare in sacro hoc uelamine conficiendo lanam lino praetulerint? quia nimirum ex lino fit muliebre potius uestimentum, quam uirile, atque idcirco res bellicas gerentibus haud conuenit, teste PLINIO. *c)* *Lana decet uirum*, addit SYLVIVS, *ut durior et fortior, deinde, Diis gratior lino, cum illa ex animali hostia detrahatur in prima sacrificii libamina. At linum ex terra est, nullo sensu praeditum, in quo possit esse quaedam animae species, (qua sola daemones delectari dicuntur,) sed tantum uegetatiua, quae neque sanguinem, neque uim sanguinis habet.* Non minus tamen elegans est ratio, quam BOXHORNIVS *d)* suggerit, lana forsitan ornatos esse Feciales, ut ostenderent, pace se potius, quam bello delectari: quippe lanigera animantia caeteris magis pacata. Imo uero coloris in lana rationem potissimum habuisse uidentur Romani. Albus enim color soli Deo, ut CICERO ex PLATONE refert, *e)* decorus est: indeque omnes, qui sacra Diis offerebant, candida ueste indutos esse oportebat, isque uestitus sacerdotum proprius erat. Feciales uero lanae candor in primis decebat, cum *fidei praefides f)* haberentur, Fidei autem simulacrum panno albo amiciretur, *g)* ad mentis puritatem, omnis commenti et fallaciae expertem, significandam.

## §. XII.

*b)* Ad Leges Regias, cap. XL.  
*c)* Hist. Nat. Lib. IX. cap. I. Conf. PIER VALERIAN. Hieroglyph. p. 299. LOMEIER l. c.

*d)* Quaest. Rom. XXX.  
*e)* Lib. II. de Legib. cap. 18.

*f)* Secundum illud VARRONIS, Lib. IV. de Ling. Lat. cap. 15.

*g)* Vnde HORATIVVS Lib. I. Od. 35. v. 25.

*Te Spes, et albo rara Fides colit  
 Velata panno.*

SYM.



## §. XII.

Sacra porro, quae DIONYSIVS memorat, gestamina Feacialium, erant sagmina, quo nomine, interprete FESTO, a) appellabantur uerbenae, i. e. herbae purae, quia ex loco sancto arcebantur a Consule Praetoreue legatis proficiscentibus ad foedus faciendum, bellumque indicendum. Nunquam enim legationem susceperunt Feaciales, ut ex LIVIO b) constat, nisi prius conceptis uerbis et solenni formula sagmina poposcissent. Quippe his acceptis, tanquam Legati Populi Romani, erant inuolabiles, quibus, ut M. Cato dicebat, nemo homo noceret, cum, sicut Legati Graecorum e caduceo, ita Feaciales Romani e sagminibus noscerentur. Testis est MARCIANVS: c) Sanctum autem, scribens, dictum est a sagminibus. Sunt autem sagmina quaedam herbae, quas Legati Pop. Rom. ferre solent, ne quis eos uiolaret: sicuti legati Graecorum ferunt ea, quae uocantur cerycia, siue ut legendum, κηρύκια. d) Deducit uero MARCIANVS appellationem

sancti

SYMMACH. Epist. 42. Lib. IV. Alba uelamina, non segmentati amillus, fidem uestiant. Ob eam causam VIRGILIUS canam fidem dixit Lib. I. Aeneid. v. 296. ubi SERVIVS: Vel quia in canis hominibus inueniatur, uel quod manu albo panno inuoluta illi sacrificaretur. Vid. FRANC. IVRETVS ad Symmach. l. c. IVST. RYCVIVS de Capitol. Rom. c. 42.

a) V. Sagmina.

b) Lib. I. c. 24. Lib. XXX. c. 43. PLINIUS Hist. Nat. Lib. XXI. c. 2. Conf. PETR. CRINITVS de honesta disciplina lib. VII. c. 3. GENTILIS de Legat. Lib. I. c. 13. CAR. PASCHAL. de Legat. c. 96. LOENSIS Miscell. Lib. IX. c. 7.

c) L. 2. §. I D. de rer. diuis. Ad quam vid. GVIL. BVDAEVS Annot. in Pand. p. 52. CONST. LANDVS Exercit. libell. in Theof. Iur. Ciu. Tom. III. p. 1403. SCIP. GENTILIS Origin. ad Pand. lib. sing. v. sanctum, AEG. MENAGIVS Amoenit. Iur. Ciu. c. 39.

d) Sic in glossis PHILOXENI:

Caduceum, κηρύκειον, cum uulgo scribatur κηρύκειον. Vid. VOSSIVS Lex. etymol. PLINIUS Hist. Nat. Lib. XXIX c. 3. Hic complexus anguini et asseratorum concordia, causa uidetur esse, quare exterarum gentes caduceum in pacis argumentum circumdata effigie anguini fecerint. Add. SVIDAS v. κηρύκειον. POLLVX Onomast.



sancti a *sagminibus*, more Ictorum, et effectu spectato, quia *sagmina* efficerent sanctum corpus Legatorum, i. e. *ab iniuria hominum defensum atque munitum*, uti sanctum ipse describit. Grammaticae omnino uerum est, *sagmina* dicta potius esse a sancto, quod et FESTVS censuit, nominis rationem vel inde, quod ex loco sancto *secarentur*, uel a *sanciendo* repetens, addita NAEVII auctoritate:

*Iusiurandum Iouis sacratum Sagmine.*

§. XIII.

*Sagmina*, ut e FESTO iam intelleximus, erant uerbenaе: atque hinc promiscue appellantur utroque nomine apud ueteres. Ita VIRGILIUS *Feciales* uerbena*s* coronatos siffit: a)

*Velati lino et uerbena tempora cincti.*

Ad quem locum SERVIUS: *Verbenaе sunt proprie herbae sacrae, sumtae de loco Capitolii, quibus coronabantur Feciales et Pater patratus foedera facturi et bella indicturi.* Imo saepius uerbena*s* et *sagmina* uno loco simul dictas obseruare licet, ut in illo NAEVII apud FESTVM: b)

*Scapos atque uerbena*s* sagmina sumsero.*

Et LIVIUS, *Fecialem*, quem modo *sagmina* a Rege Tullo poposuisse dixerat, mox Patrem patratum, capite huius capillisque uerbena*s* tactis, fecisse scribit. c)

Idemque *Fecialibus*, qui in

D

Afri-

*Onomast. Lib. VIII. c. II. τὸ δὲ κη-  
ρῦκειον, φέρμα ἢ τὰν πρεσ-  
βέων. Conf. ALEX. AB ALEXAN-  
DRO Gen. Dier. Lib. IV. c. 3. PFEIF-  
FER. Antiqu. Graec. Lib. III. c. 24.*  
ubi de *erefone*, ἐμείωνη, Atheni-  
ensium caduceo, scilicet oleae ramo  
lana obuoluto, qualem describit VIR-  
GILIUS Lib. VIII. *Aeneid.* v. 126.

- - Regem *Aeneas* dictis affatur  
amicis:

*Optime Graiugenum, cui me fortun-  
na precari,*

*Et uitta comtos uoluit praetendere  
ramos.*

a) *Aeneid. Lib. XII, v. 120,*

b) *V. Sagmina.*

c) *Lib. I, c, 24,*



Africam ad foedus ferendum ire iussi, postulantibus Sctum in haec uerba factum esse refert: *d) VTI PRIVOS LAPIDES, SILICES, PRIVASQVE VERBENAS SECVM FERRENT, VT PRAETOR ROMANVS HIS IMPERARET, FOEDVS FERRENT, ILLI PRAETOREM SAGMINA POSCERENT.* Imo, quod diximus, sagmina prorsus fuisse uerbenas, porro confirmat PLINIVS, *e)* de praestantia et dignitate herbarum scribens: *Interim fortius augetur auctoritas, quae quanta debeatur etiam surdis, hoc est ignobilibus herbis, perhibebitur. Siquidem auctores imperii Romani conditoresque immensum quoddam et hinc sumere, quoniam non aliunde sagmina in remediis publicis fuisse, et in sacris legationibus, quam uerbenae. Certe utroque nomine idem significatur. Hoc est gramen ex arce cum sua terra euulsus. Hac semper et legati cum ad hostem clarigatumque mitterentur, usi, i. e. raptas clare repetitum, unus utique uerbenarius uocabatur. Ex hoc uero PLINII loco apparet, eas tantum herbas sagminum appellatione uenisse, quas ex arce cum sua terra euulsas sacris Fecialium legationibus adhiberi solenne erat, id quod praeter SERVIVM notat LIVIVS, *f)* qui, herbae id genus, ait, ex arce sumtum dari Fecialibus solet. Quare haut abs re quis coniciat, apud FESTVM legendum esse: ex loco sancto, arce, sumebantur, (vel secabantur,) pro ex loco sancto arcebantur.*

## §. XIV.

Quamuis autem uerbena, ut SERVIVS tradit, proprie esset herba sacra, qua coronabantur Feciales et Pater patratus, foedera facturi, uel bella indicturi: abusive tamen uerbenas uocatas omnes frondes sacratas, idem obseruat, *a)* ac praeterea testis est DONATVS ad illud TERENTII: *b)*

Ex

*d) Lib. XXX. c. 43.**e) Hist. Nat. Lib. XXII. c. 2.**f) Lib. XXX. t. 43.**a) Ad Lib. XII. Aeneid. v. 120. et ad Eclog. VIII v. 65. Verbenae dicuntur uirgulta, quae semper uirent, incun-**di odoris. Alii uerbenas uirgulta religioni apta; alii proprie oliuarum ramos. Omnia tamen haec a uiriditate.*  
*b) Andr. Act. IV. Sc. 3. v. 11. conf. LOENSIS Miscellan. Lib. IX. c. 7.*



*Ex ara sume hinc uerbenas :*

Vbi: *Verbenae*, inquit, quasi *herbenae*, et sunt omnes herbae frondesque festinae ex aliquo puro loco decerptae. Hinc apparet, nullam herbarum in fagminibus conficiendis rationem habuisse Romanos, cum omnia, quae in arce seu loco Capitolii sancto enata, pura Diisque sacrata censerentur. c) Frustra igitur ALBERGENTILIS, d) distinguens inter gramen et uerbenas, utriusque herbae diuersum in diuersis legationibus usum fuisse contendit. Hoc ut existimaret, induxit eum LIVIUS e) haut satis intellectus locus, ubi, cum puram herbam seu uerbenas tollere Feciale a Rege Tullo iustum dixit, statim addit: *Ex arce graminis herbam puram attulit*. Atqui non uidetur GENTILI graminis appellatione LIVIUS pro herba uti. Verum concidit omnis sententiae huius species, si cogitamus, PLINIVM f) fagmina et uerbenas explicare de gramine, quod ex arce cum terra sua euellit. Imo, si SERVIO g) fides est, uelut robur omne lignum durum; ita gramen olim omnem herbam uiridem denotauit.

§. XV.

Neque uero diuersum graminis et uerbenae usum, in diuersis belli indicendi foederisue pangendi ritibus, ex auctore aliquo uetusto probare datur. Quippe huc minime pertinent uerba VIRGILII, quae in sententiam suam adduxit GENTILIS :

*Dimensi Rutulique uiri Teucrique parabant  
In medioque focos et Diis communibus aras  
Gramineas: alii fontemque ignemque ferebant,  
Velati lino (lana) et uerbena tempora cincti.*

Quod enim arae gramineae hoc loco paratae dicuntur, hoc ad ritum sacrificandi pertinet, secundum quem sub dio sacra facturi

D 2

cturi

c) LOENSIS *Miscell. Lib. V. cap. 1.*

d) *De Legationib. Lib. 1. cap. 13.*

e) *Lib. 1. cap. 24.*

f) *Hist. Nat. Lib. XXII. cap. 2.*

g) *Ad Lib. XII. Aeneid. v. 118.*



cturi ex fortuito cespite uiuo aras exstruebant. a) Nemo certe credet, tantam herbarum copiam, uelut insignia, secum tulisse Feciales, ex qua integras omnino aras Numinibus possent excitare. Nec facile persuadeat Vir doctus, usi earum herbarum diuerso parentes suos indicasse Romanos. Etenim licet uerbenas in sacris Veneris incensas, b) gramenque Marti consecratum, c) et myrtum loco sagminum, teste PLINIO, d) a Fecialibus olim adhibitam fuisse sciamus: parum tamen haec ualent, si, graminis appellatione omnes herbas uenire, ac uerbenis tam in foedere feriendo, quam bello indicendo usos esse Feciales, e) praeterea uero myrtum, tanquam arborem, tantum abusus uerbenarum nomine comprehendendi, f) adeoque ad sagmina, quae herbae fuerunt, referri non posse, cogitamus.

§. XVI.

At nihilominus posteris temporibus iam apud ueteres inualuit opinio, sanctitatem istam in primis herbae illi, quae *peristereon* et *uerbenaca* atque *εσπὰ βοτάνη* etiam appellata, inesse. a) Id quod nec PLINIVS b) tradere dubitauit, quamuis antiquorum rituum intelligentissimus, et qui, omnes herbas sacras sub uerbenis intelligi, antea docuerat. Nulla, inquit, *Romanae nobilitatis plus habet, quam hierobotane. Aliqui peristereon; nostri uerbenacam uocant. Haec est, quam Legatos ferre ad hostem indicauimus.* Neque abludit *SERVIUS*: c) *Verbena, scribens, proprie*

a) SILIVS ITALIC. *Lib. VII. v. 769.*

*Cespite de uiridi surgunt properantius aras.*

HORAT. *Lib. I. Od. 19. v. 13. Lib. III. Od. 8. v. 3.* BERTHALDVVS *de Ara cap. 6.*

b) VIRGILIUS *Ecl. VIII. v. 64. f.*

c) *SERVIUS ad Lib. XII. Aeneid. v. 119.*

d) *Hist. Nat. Lib. XV. c. 29. ALEX,*

AB ALEXANDRO *Gen. Dier. Lib. V. cap. 3.*

e) PLINIVS *Hist. Nat. Lib. XXII. c. 2.*

FESTVS *v. Sagmina.*

f) *SERVIUS l. c. Abusus tamen etiam uocamus uerbenas omnes frondes sacras, ut est laurus, oliua, myrtus.*

a) LOENSIS *Miscell. Lib. IX. c. 7.*

b) *Hist. Nat. Lib. XXV. c. 9.*

c) *Ad Aeneid. Lib. XII. v. 120.*



proprie est herba sacra, rosmarinus, ut multi uolunt, λιβανωτίς. Atque his inductus ALB. GENTILIS d) uerbenam, de qua LIVIVS, non de omni, uerum certa tantum herbarum specie, intelligendam existimauit, quamuis eam non fuisse uerbena- cam, contra PLINII sententiam, ex DIOSCORIDE e) probare sit conatus. Acute igitur conicit LOENSIS, f) effectam a sacri- ficulis atque ignorantī plebi, exoleto foederum prisco ritu, per- suaasam esse hanc opinionem de singulari herbae specie, cam- que ab commentis magorum petitam fuisse, quorum in con- cilianda uerbena inuitata existimatione et auctoritate uanos conatus PLINIUS g) deridet. *Viraque* (uerbenaca mare et foemina) *fortiuntur Galli et praecinunt responsa. Sed magi utique circa hanc insaniunt. Hac perunctos impetrare, quae uelint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi. Colligi cir- ca canis ortum debere, ita, ut ne luna aut sol conspiciat, fauis ante et melle terrae ad piamentum datis. Circumscriptam ferro effodi si- nistra manu, et in sublime tolli. Siccari in umbra separatim folia, caulem, radicem. Aiuntque, si aqua spargatur triclinium, qua ma- duerit, lactiores conuictus fieri. Aduersus serpentes coneritur in uino.*

## §. XVII.

At enim uero, ut honoris tantum et auctoritatis, imo et sanctitatis, apud ueteres tribueretur *surdīs*, uti eas PLINIUS uocat, *et ignobilibus herbis*, non uirtus herbarum effecit, sed, quia symbolum essent tuendae maiestatis, in cuius conserua- tione omnis est reipublicae salus, id quod pulchre ostendit supra laudatus SYLVIVS. a) Namque ex arce simul gramen cum sua terra euellebatur, in qua est nota patrii soli, in quo

D 3

nutriti

d) De Legationib, l, c,

e) Lib. IV. c. 28.

f) Miscellan, l, c.

g) l, c.

a) Ad Leges Regias c. 12. Add. LI- PENIVS de Strenis c. 3. §. 12. BOX- HORN, *Quaest. Rom.* XXX,



nutriti et educati essent ciues Romani, et in quo esset quoddam principium originis eorum. Hinc PLINIVS *b)* auctor est, summum apud antiquos signum uictoriae fuisse, herbam uictis porrigere, h. e. terra, et altrice humo ipsa, et humatione cedere. Hinc etiam esse uidetur, quod in sacris belli indicendi et foederis faciendi ritibus Feaciales reliquis herbis gramen praetulerunt: unde, quoties auctores ueteres sagmina indicare uoluerunt, gramen dixerunt pro quouis herbarum genere. Corona utique graminea nullam fuisse Romanis habitam nobiliorem praemisque gloriae excellentiorem, idem PLINIVS *c)* prohibet. *Decreuit hanc, ait, in triumphis Senatus cura belli solutus, et populus otiosus nunquam nisi in desperatione suprema, et contigit nulli, nisi ab uniuerso exercitu seruato decreta. Eadem uocatur obsidionalis, liberatis obsidione abominandoque exitio totis castris. Dabatur haec uiridi gramine, ubi obsessos seruasset aliquis.*

## §. XVIII.

Haut difficulter uero ex his, quae de sagminibus siue uerbena dieta, intelligere licet, quisnam fuerit ille, quem *uerbenarium* Romani appellarunt. Hic enim, quotiescunque Feaciales aut bellum indicebant, aut foedus feriebant, sagmina eis praeferre solebat. *a)* Auctor est VARRO *Lib. II. de Vita Pop. Rom.* *b)* ubi: *Verbenarius*, scriptum reliquit, *ferebat uerbena, pacis signum.* Et PLINIVS *c)* eum semper comitem Feacialium, cum ad hostes clarigatumque mitterentur, fuisse memorat, imo, unum ex illis *uerbenarium* uocatum fuisse scribit. Neque uero hunc, rei tam sanctae, herbarum, quae Feaciales Populi Romani significarent, custodem et curatorem minus praecipuum

*b)* *Hist. Nat. Lib. XXII. c. 4.*

*c)* *Lib. XXII. c. 3.*

*a)* *Vid. ALB. GENTILIS de Legationib. Lib. I. c. 13 M. DONATVS*

*Dilucidat. ad LIV. p. 2, LIPENIVS de Strenis c. 3. §. 12,*

*b)* *Apud NONIVM cap. III. n. 12,*

*c)* *Hist. Nat. Lib. XXII. c. 2,*



puum in collegio locum tenuisse, opinari licet: quin potius is fuisse uidetur, qui Patrem patratum solenni ritu fecisse refertur apud LIVIVM d) his uerbis: *Fecialis erat M. Valerius, is Patrem patratum Sp. Fusum fecit, uerbena caput capillosque tangens.*

## §. XIX.

Ordo nunc poscit, ut reliqua huius Collegii ornamenta contemplerur, de officio ac potestate Fecialium in ea, quae sequitur, Iuris Fecialis tractatione dicturi. Etenim oportebat omnino uenerabile ac magnificum esse illorum Sacerdotum ordinem, qui ciuitatis Romanae sacra legatione fungebantur ad querendum de iniuriis publicis resque repetendas, tum ad bellum iustum piumpque indicendum, ac tandem ad pacem et amicitiam restituendam, atque foedere priscis cerimoniais icto, faciendam, et qui, CICERONE a) auctore, *foederum, pacis, belli, induciarum* non solum *Oratores*, sed et *Iudices* erant. Hinc primum inter Fecialium iura locum tenet eorum sanctitas: sicut enim *Legatorum ius diuino humanoque uallatum praesidio, cuius tam sanctum et uenerabile nomen esse debet, ut non modo inter sociorum iura, sed et hostium tela incolume uersetur, b)* ac proinde *caduceo ornatus uel inter hostium tela incolunus esse* debebat orator, c) ita Feciales, sagminibus insignes Populi Romani Legatos, necesse erat ab omni iniuria munitos esse ac defensos. Quare, ut VARRO *sancta corpora Legatorum, d)* ita Feciales NONIUS e) *sanctos Legatos* dixit. Hinc apud LIVIVM f) *Sp. Postumius, cum hostibus dederetur, genu femur Fecialis percillens exclamat:*

d) *Lib. I. c. 24. Conf. IO. CHRIST- FRID. SAGIT' FAR. Diff. de Foeder. c. 3 §. 13. in Otio Ienens.*

a) *De Legibus Lib. II. c.*

b) *Ini Verrem Lib. I. c. 33. POM- PON. L. ult. D. de Legationib. Vid. CUIAC. Obseru. Lib. XI. c. 5. PA-*

*SCHAL. de Legat. c. 26 HVG. GRO- TIVS de Iure Belli et Pac. Lib. II. c. 18 § 1. BYNKERSHOEK de Foro Legator. c. 5.*

c) *Lib. I. de Orat. c. 46.*

d) *De Ling. Lar. Lib. III.*

e) *Cap. III. n. 12.*

f) *Lib. IX. c. 10.*



XXXII CAP. II. DE COLLEGIO, COOPTATIONE,

mat: *Se Samnitum ciuem esse, illum Legatum facialem a se contra ius gentium uiolatum, eo iniustus bellum gesturos Romanos.*

§. XX.

Maxime uero Collegii auctoritas eminebat in responsis ac decretis, quae Senatui, de bello gerendo aut pace ineunda consulenti, dabat. Cum enim belli aequitas sanctissime feziali populi Romani iure perscripta, *a)* huius uero custodia et arbitrium esset apud Collegium Fezialium, *b)* oportebat, eo inconsulto nec bellum suscipi, nec foedus iniri posse. De utroque igitur consulti Feaciales responsa dedisse, siue decreuisse memorantur apud LIVIUM aliquot locis, uelut de bello Regi Philippo, *b)* itemque de bello Regi Antiocho *d)* indicendo, neque minus de foederis cum Carthagenensibus ferendi ceremoniis. *e)* Haut impune uero contemptam Fezialium auctoritatem delusamque a plebe Collegii religionem, iubentis, ut, iniuriae contra ius legationis in Gallos commissae piaculo in unum auctorem Fabium Ambustum uerso, id a reliquis Patres amolirentur, ab infectis Gallis secuta clades et incendium Urbis docuit. *f)*

§. XXI.

Ad conseruandam Collegii auctoritatem procul dubio Numa sacerdotum Fezialium uoluit esse perpetuum, ut, qui semel ad id lecti fuissent, ei per omnem uitam consecrati manerent, id quod DIONYSIUS *a)* perhibet. Cumque Fezialibus futuris, ad sanctiora illa munia rite atque pro maiestate Populi Romani olim obeunda, magna scientia belli pacisque iurium, tum

*a)* CICERO *Lib. I. de Offic. c. 3.*

*b)* *Vid. Cap. sequ. §. 7.*

*c)* *Lib. XXXI. c. 8.*

*d)* *Lib. XXXVI. c. 3.*

*e)* *Lib. XXX. c. 43.*

*f)* PLVTARCHVS in *Camillo*  
p. 248.

*a)* *Lib. II. pag. 131. διὰ παντός ιερωμένοι τῶ βίῃ.*



tum uero animi ad mores puros sanctosque praeparatione omnino opus esset, factum hinc est, ut e nobilissimis familiis praetextati Fecialium institutioni atque educationi committerentur. Id enim non tantum e uerbis CICERONIS, *b)* Verrem in publicis foederum religionibus sanctum scilicet! ac diligentem acriter perfringentis, cum eum *hominem in Fecialium manibus educatum* dicit, uerum etiam intelligere licet ex his PLVTARCHI, supra iam prolatis: *c)* Ἐχει δὲ (ὁ καλούμενος πᾶτερ πατριῶτος) καὶ νόν προνομίαν τινα καὶ πίστιν. οἱ γὰρ στρατηγοὶ τὰ δὲ ἐυμορφίαν καὶ ἄραν ἐπιμελῆς δέοντα καὶ σάφρονος φυλακῆς σῶματα, τέτοις παρακατατίθενται. Atque etiamnum priuilegium auctoritatemque aliquam retinet (Pater patriatus): Praetores enim corpora, quae ob formam et florem actus custodia opus habent pudica, eorum fidei commendantur.

## §. XXII.

Enimuero Fecialium auctoritas cum ipsa republica Romana, discordiis quassata ac tandem euerfa, sensim quoque imminuta simulque demum collapsa est. Neque enim fieri poterat, ut ista de principatu obtinendo bella ciuilia, tanquam pia iustaque, a Fecialium collegio probarentur, neque post occupatam rempublicam cum unius imperio consistebat, ut bellum non nisi a Fecialibus iustum pronunciatum et indictum gerere liceret. *a)* Hoc ipsum est, quod significat VARRO: *b)* Feciales, scribens, quod fidei publicae inter populos praerant: nam per hos fiebat, ut iustum conciperetur bellum, et inde destitum, et ut foedere fides pacis constitueretur. Quamuis enim de uerbis, et inde destitum, explicandis uarie laborauerint Viri docti, *c)* mihi tamen uera omnino sententia

E tentia

*b)* Orat. V. in Verrem, cap. 19.

*c)* Quaest. Rom. LXI.

*a)* Ita Maccenas apud DIONEM censet, ueterem illum belli indicendi morem proprium esse status po-

pularis. Conf. GROTIUS de Iure B. et P. Lib. III cap. 3. §. 8.

*b)* De Ling. Latin. Lib. IV c. 15.

*c)* Plurimum aberrauit ANT. CLAR.



tentia uidetur ADR. TVRNEBI *d*) et IOS. SCALIGERI, *e*) feciales cerimonias rerum repetendarum et belli indicendi, sua aetate ab usu sublatas, VARRONEM significare. Certe ritus illos post hoc tempus unquam a Fecialibus peractos esse, apud neminem ueterum Scriptorum reperire licet. Contra uero ex DIONE *f*) noscimus, Consules et belli Imperatores e columella, ante aedem Bellonae in circo Flaminio posita, hastam, simulatione quadam prisca ritus, aduersus eam partem torfisse, ubi gens, uel Rex hostis populi Romani habitaret. Imo nec foederis et pacis constituendae munus ac potestas, quam sua aetate adhuc penes Feciales fuisse docet VARRO, sub Principibus, qui sub unius imperium omnia belli pacisque iura receperant, diu permansit, ac proinde ipsum etiam Collegium Fecialium, quia non amplius consulere, dissolui atque interire oportuit. Etenim foedus ab Imp. Claudio cum Regibus ictum in foro, porca caesa ac uetere Fecialium praefatione adhibita, ut rem singularem atque insolitam SVETONIUS *g*) refert, iamque sub Tiberio satis diminutum fuisse Fecialium honorem, indicio esse potest locus TACITI, *h*) quem supra adscripsimus, quo Caesar negasse Fecialibus id maiestatis refertur, ut ludis publicis praeficerent.

## §. XXIII.

Mansit tamen sub Imperatoribus, ut aliorum Magistratum, ita Fecialium quoque nomen, idque inter honorum titulos

CLAR. SYLVIVS *ad Leg. Reg. c. 12.* dum VARRONEM sic interpretari conatur: Ex Numae quidem instituto Feciales belli et pacis iudices atque custodes fuisse, sed postea sensum belli ius ad se traxisse eos, qui primas in ciuitate partes tenebant: inde, ne legem regiam de iure feciali uiolare uiderentur, eos demum bello aut foedere iam decreto Fecialibus de

eo sententiam ferre, et utrumque ritu suo concipere permisisse,

*d*) Ad VARRONIS *l. c.*

*e*) *Coniect. ad VARRON. l. c.*

*f*) Apud XIPHILINVM in *M. Antonino*: de quo loco infra pluribus dicitur Cap. IV.

*g*) In *Claudio, cap. 25.*

*h*) *Lib. III. Annal. cap. 64.* uid. supra §. I. *hoc Cap.*



titulos conspicuum tenuit locum: uelut sub Tiberio, in marmore literato apud GRVTERVM a) P. Cornelius Lentulus Scipio memoratur Consul, Praefectus Aerarii, Legatus Caesaris, Legatus Legionis VIII. Hispanicae, Pontifex, Feccialis: et sub M. Antonino et Vero in splendido L. Aetiani Larcii, ciuilibus et sacris muneribus functi, titulo Feccialis honos quoque celebratur. b) Atque ex his quidem inscriptionibus simul apparet, Legatos Augustorum, in memoriam sacrae legationis Feccialium, hoc elogio exornari solitos fuisse. c) Patris patrati quoque dignitatem haut omnino desuisse sub imperio Caesarum, cum praerogatiua illa, quam sub Traiano adhuc Patrem patratum obtinuisse, e PLVTARCHO d) paulo ante obseruauimus, tum inscriptio Mediolanensis apud GRVTERVM e) perhibet. Nullum uero est dubium, postquam uera religio publicum de superstitione triumphum egerat, omne prorsus Feccialium et Patris patrati nomen Legitimos Principes e numero dignitatum sustulisse. f)

CAPVT III.  
DE

FONTIBVS IURIS FECIALIS  
POPVLI ROMANI.

§. I.

PRimum Feccialium et Iuris feccialis apud Romanos auctorem uidimus Regem Numam: nunc uero ipsos sacri huius iuris fontes inuestigabimus, quo futurae de eo disputationis

E 2

rite

a) Pag. CCCXVI. Vid. Cap. I. § II.  
b) Apud GRVTERVM pag. CCCCLVII. Vid. Cap. I. §. eod.  
c) Adde inscriptionem apud GRVTER. pag. M CVII. 4. uid. Cap. I. §. II.

d) Quaesf. Rom. LXI. Vid. supra hoc Cap. §. V.  
e) Pag. XXXIV. n. 9. Vid. Cap. II. § III.  
f) Quamuis AMMIAN. MARCEL.



rite initium fiat. Et quidem si de communibus principiis ac fontibus quaeratur, unde populi moratiores illud hauserint? principe iuris gentium magistro HVGONE GROTI<sup>o</sup> a) praeunte, distinguenda sunt ea, quae ad iustitiam, et quae ad honestatem ac decorum belli pacisque et foederum pertinent, ad quae certi ritus et cerimoniae certaque symbola ex institutis quarundam gentium accefferunt. Illam igitur iuris feccialis partem, quae proprie iustitiam belli ac foederum constituit, populi humanitatem colentes ex ipso rationis ac iuris naturalis fonte petierunt, Romani uero gentes reliquas non magis bello et armis, quam eius iuris cultura et iustitiae fama, uncere studuerunt. Cumque disceptationem illam, qua per uim decertatur, tanquam propriam belluarum, b) non solum fas armorum et ius hostium, c) sed etiam prudentia ac moderatio quaedam regere debeat, ne aut temere, aut crudeliter, aut perfide, d) uerum ut ex dignitate naturae humanae bella suscipiantur ac gerantur; pacemque ac foedera, quanta fieri potest, religione munire ac fidem sollemniter sancire, animisque in concordiam redeuntibus imprimere sacris et iureiurando, plurimum expediat: hinc tum aliae gentes, quae a barbarie discesserunt, decorum bello et firmamenta paci adhibenda instituerunt, tum uero populus Romanus illa ab aliis accepta ad maiorem perfectionem, sua maiestate et inter gentes principatu dignam, perduxit, ut amicis uenerationem iniceret, hostium uero perpetuo terrori esset, illa Romanae ciuitatis, iustitia armorum foederumque fide quaesita, gloria.

§. II.

CELLINVS *Lib. XIX. cap. 2.* memoret, *Grubatam*, Persarum ducem, *hastam insectam sanguine ritu patrio*, Romanoque more coniecisse *feccialem*, statimque armis exercitum concrepantem inuolasse in muros: attamen Romanus mos aut de priscis temporibus accipiendus, aut Iulianus Apostata superstitionum ritum adhibuisse

uidetur. Conf. LINDENBROG. *ad h. l.*

a) *De Iur. Bell. et Pac. Lib. III. c. 3. §. 6.*

b) *CICERO de Offic. Lib. I. c. II.*

c) *TACITVS Annal. Lib. IV. c. 58.*

d) *CICERO de Offic. Lib. I. c. 24.*



## §. II.

Iam quod ad proprios iuris feccialis Populi Romani fontes at-  
tinet, scrupulum iniicit DIONYSII HALICARN. a) dubitatio,  
utrum ab Aequicolis illud defumtum fit, an uero ab Ardeati-  
bus? Pro his facit CN. GELLIVS, haut exiguae fidei scriptor,  
b) cuius Annales DIONYSIVM suspensum reddidere. Sed  
iure meritoque uincit eum auctoritas plurium Scriptorum ue-  
terum, LIVII, AVR. VICTORIS, SERVII et Auctoris *de nomi-  
num ratione*, c) ut taceamus, quod DIONYSIVS ipse haut dissi-  
mulauit, alios, qui eius aetate adhuc existerunt, scriptores iuris  
feccialis originem ad Aequicolas retulisse.

## §. III.

Petit igitur Numa ius fecciale ab Aequicolis, eoque consilio  
simul exemplum dedit, quod deinde in morem plane iuit apud  
Populum Romanum, *aliarum ciuitatum bona imitanda, atque in  
Remp. transferendum esse, quod usquam egregium fuerit.* a) Et cum  
inter ordines eorum, qui sacris operantur, septimo loco consti-  
tuisset Feccialium Collegium, eadem serie legum sacrarum, quas  
octo libris complexus est, parte septima, teste DIONYSIO, b)  
proposuit leges de Collegio et officio Feccialium. His enim fi-  
dei publicae inter gentes faciendae et retinendae curam com-  
misit, ut de foederibus ineundis seruandisque solliciti essent,  
ipsi ea certo ritu confirmarent, de iniuriis, quae sociis illatae  
essent, cognoscerent, et in hos, qui legatos uiolassent, animad-  
uerterent, denique ut bellorum iudices essent suscipiendorum,  
utque de bellandi causis dispicerent. Haec est summa legum,  
E 3 quam

a) Lib. II. p. 131.

b) Conf. VOSSIVS *de Historic.  
Latin. Lib. I. c. 8.*c) Vid. *Cap. I. §. X.* Forfitan emi-  
nentia et celebritas ciuitatis Ardeati-  
um, quae illa aetate fuit, et de quaLIVIVS *Lib. I. c. 57.* effecit, ut iura  
feccialia ab iis petita crederentur.a) POLYBIVS *Lib. VI. cap. 23.*  
TACITVS *Annal. Lib. XI. cap. 24.*  
b) *Lib. II. loc. cit.*



quam ex DIONYSIO et PLVTARCHO *c*) cognoscere datur, et quam CICERO *d*) inter suas de religionibus constituendis leges expressisse uidetur his uerbis: *Foederum, pacis, belli, induciarum Oratores, Feciales, Iudices sunt, bella disceptant. Quippe recitatis illis de iure sacro legibus, ipse sub Attici persona subiicit: Conclusa est quidem apte tam magna lex, sane quam breuiter, et ut mihi quidem uidetur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae nostrisque moribus. Quo minus enim in ista CICERONIS lege uerba Numae *e*) legitima deprehendisse mihi uidear, prohibet ipsa TVLLII praefatio: Sunt certa legum uerba, Quincte, neque ita prisca, ut in ueteribus his sacratisque legibus, et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora, quam hic sermo est. Eum morem igitur cum breuitate, si potero, consequar. Leges autem a me edentur non perfectae: nam esset infinitum: sed ipsae summae rerum ac sententiae.*

## §. IV.

Confirmarunt has de iure feciali leges Numae in regno successores, Tullus Hostilius et Ancus Marcius: ille quidem, non aliqua lege noua de eo lata, sed usu, praesertim in bello Albanis indicendo, *a*) ac postea in foedere, quo nullius uetustior apud Romanos memoria fuit, inter populum Rom. et Albanos feriendo, quod cum omni ritu, quem Numa instituerat, sollemniter factum LIVIUS tradit. *b*) Ancus uero Marcius, auitae gloriae memor cum omnia Numae instituta sacra ex commentariis regis per Pontificem Max. in album relata, ac publice proposita in usum reuocauit, *c*) tum, quod supra iam obseruauimus, *d*) bellicas caerimonias, quibus res repeterentur, ab Aequicolis

*c*) In Numa pag. 68. et in Camillo pag. 137.

*d*) De Legibus Lib. II. cap. 9.

*e*) Aut Anci Marci, ut uidetur PIGHIO *Annal. Roman. Tom. I. pag. 39.*

*a*) LIVIUS *Lib. I. c. 22.*

*b*) *Lib. I. c. 24.*

*c*) LIVIUS *Lib. I. c. 32.*

*d*) *Cap. I. §. XI.*



quicolis desumptas prodidit, iisque belli religionem, Feccialium cognitioni et arbitrio a Numa commissam, ut ab his quoque rite indiceretur, praeclare auxit atque suppleuit.

## §. V.

Exactis Regibus non omnes leges, neque omnia instituta Regum exoleuisse, nec illas quidem de Magistratibus, quae liberae ciuitati aptae et profuturae uiderentur, abrogatas aut reiectas esse, luculentissime testimoniis atque exemplis euicerunt Viri Clarissimi GE. SCHVBARTVS *a)* et EV. OTTO *b)* Imo uero sacras Numae Leges a Caio Papirio Pontifice Max. post regifugium in usum reuocatas nouimus, *c)* neque eas a Decemuiris abolitas credibile est, cum per illas religione sacrorum, cerimoniis et omni iure diuino fundata ciuitas Romana quamlibet ciuitatem, ut DIONYSIVS ait, *d)* siue Graecam, siue barbaram, etsi pietatis nomine celebrem, longe a tergo reliquerit. Certe iura feccialia Numae, pariter ac belli indicendius, post leges Decemuirales perstitisse, non tantum uerba CLERONIS, de legibus feccialibus inter alias leges sacrorum a se relatis dicentis; *e)* *Vi mihi uidetur non multum discrepat ista consuetudo religionum a legibus Numae nostrisque moribus*, et quod LIVIVS *f)* cerimonius belli indicendi ab Anco praescriptis subiicit: *Mouemque eum posteri acceperunt*; sed etiam perpetuus cum Magistratus et Collegii Feccialium, tum solennitatum atque cerimoniarum in bello, pace ac foederibus, earum, quas Numa et Ancus instituerant, usus certissime probant.

## §. VI.

Enimuero, licet multas Regum atque imprimis Numae leges Decemuirali illi iuris facri, publici, priuatique corpori infer-  
tas

*a)* De Fatis Iurisprud. Rom. Exerc. I.

§. 45.

*b)* Praefat. ad Tom. III, Theol. Iur. Civil. pag. 9.

*c)* DIONYSIVS Lib. III. pag. 178.

*d)* Lib. II. pag. 124.

*e)* De Legibus Lib. II. cap. 10.

*f)* Lib. I. cap. 32.



tas probe sciam, nihil tamen affirmare ausim de iuribus feccialibus, quatenam de illis leges in XII. Tabulas fuerint relatae, quoniam nullum de his testimonium ueterum habemus expressum atque idoneum, quali quidem opus est, ne nudis suspicionibus et coniecturis indulgeatur. Atque hoc monitum Viri Summi, IAC. GOTHOFREDI, *a*) plus apud intelligentes ualebit, quam confidentia GVIL. BVDAEI, ALEXANDRI AB ALEXANDRO, ANT. CONTII et ipsius GOTHOFREDI patris, qui omnes ac singuli leges a TVLLIO fictas pro genuinis Legum XII. Tabularum capitibus uenditarunt. *b*) Fabulosa uero sunt, quae SERVIVS *c*) ad illud VIRGILII:

*Hi Fescenninas acies, Aequosque Faliscos,*

scripsit: *Aequos autem dicit, id est, iustos: quia populus Romanus, missis Decem Viris, ab ipsis iura feccialia et nonnulla Supplementa XII. tabularum accepit, quas habuerunt ab Atheniensibus.* Et uel hoc nomine suspecta sunt, quod nusquam alias talia occurrunt *d*) Maxima itaque est audacia THEOD. MARCILII, *e*) fictam hanc SERVII narrationem auctoris noua fabula, dum legem in duabus posterioribus tabulis additam suo ingenio proculdit, quae iuberet auspicia et ius feccialium in patrum potestate esse, exclusis plebeiis. Vbi enim huius legis sententiam refert SERVIVS? Et ubi illa, quae fingere pergit: *Iratam plebem perosamque tabulas secundas, contumeliae causa Oscas nominasse, quod eae leges Decemuiris ex Faliscorum iure ciuili petitaee?* Scilicet *Oscas leges* apud FESTVM, *f*) ubi tamen CLOACIVS VERVS eas explicat *Sacratas*, ipsas posteriores duas tabulas esse, multo uaniloquio contendit MARCILIUS, ut mirandum sit, somnium eius fidem inuenisse apud quosdam Viros doctos.

S. VII.

*a*) Praefat. ad LL. XII. Tabularum.  
*b*) GVIL. BVDAEVS ad L. 2. §. 26.  
 D. de. Or. Iur. ALEX. AB ALEXANDRO Lib. IV. Gen. dior. c. 4. ANT. CONTIUS in Collect. XII. Tabb. DION. GOTHOFREDVS in fragmentis XII. Tabb. Corpori Iuris adiectis, Conf. V. C. EV. OTTO in Praefat.

ad Tom. III. Thes. Iur. Ciu. pag. 14.

*c*) Ad Lib. VII. Aeneid. v. 695.

*d*) Vid. GE. SCHVBART. de Fatis Iurispr. Rom. Exerc. II. §. 32.

*e*) Interpretam. Legis XII. Tabb. in prolegom.

*f*) In v. Oscum.



## §. VII.

Quid igitur? Sicut ius Pontificium non fuit in XII. Tabulas relatum, sed in libris ceremoniarum secretis perscriptum, atque, ut religione adstrictam haberent multitudinem, ea, quae ad sacra pertinebant, a Pontificibus maxime suppressa sunt, a) ita cum iure Feciali perinde factum, idque a Patre patrato et collegio Fecialium in occulto magnam partem retentum esse oportet. Quomodo enim religionis in bello, pace ac foederibus disciplina vulgari potuisset, quin Fecialium auctoritati decederet longe plurimum, atque tolleretur verus, cuius potissimum causa illud constitutum erat, collegii Fecialium usus, qui sane fuit, ut eius decretis ac responsis, tum et ceremoniis adhibitis, modo iustitia armorum persuaderetur militibus, atque fiducia inde cresceret, modo ab iniusto, aut etiam inutili bello auerterentur animi civium, ubi nec dissuasiones proficere, nec in Auguribus remedium esse uidebatur, utque pacis et foederum sanctimonia, arcanæ scientiæ et rituum solennium veneratione, auergeretur. b) *Ac belli quidem æquitas sanctissime feciali Pop. Rom. iure perscripta est,* inquit CICERO: c) quod intelligo de legibus Numæ et Anci Marci. Cerimonias uero belli ac pacis in Fecialium libris ritualibus consignatas fuisse, intelligimus ex FESTO. d) Neque dubitandum est, habuisse Fecialium collegium tabulas et codices, quibus inscriptæ pacis ac foederum, in quas Populus Romanus cum exteris gentibus conuenerat, leges ac formulæ, quarum custodes et arbitri erant constituti, tum etiam acta, in quæ decreta collegii et responsa Magistratibus consulentibus data referrentur. Inueni enim, collegium Fecialium ad decreta sua, cum de simili

F

quæ-

a) Vid. GVTHER. *de vet. iur. pontif. Lib. I. c. 3. et 22.*

b) Conf. V. C. GE. CHR. GE.

BAVERI *Numa Pompil. cap. 2. §. 10.*

c) *De Offic. Lib. I. c. 11.*

d) *In v. Ritualæ,*



XLII CAP. III. DE FONTIB. IVR. FEC. POPVLI ROM.

quaestione consulereur, prouocasse. e) Imo uero cum ipsis Romanae potentiae et imperii incrementis, tantaque foederum frequentia et uarietate ius feciale in eum ambitum excreuit, ut CICERO f) ad singularem Cn. Pompeii laudem retulerit huius iuris peritiam et praestabilem scientiam in foederibus, partitionibus, conditionibus, populorum, Regum, exterarum nationum, in uniuerso denique belli iure ac pacis. At nos, quoniam iuris feccialis prisci fontes et integra legum uerba iam olim perierunt, contentos esse oportet us CICERONIS, LIVII, VARRONIS, DIONYSII, PLVTARCHI et SERVII locis, qui fundi sunt nostrae commentationis. Itaque quantum ex his Veterum, nec satis expeditis, testimoniis fieri potest, de utraque iuris feccialis parte, cui praeerant Fecciales, *φύλακες μὲν εἰρήνης, ἐπιγυάμνοες δὲ καὶ βεβαιοτά αἰτιῶν, αἰ σὺν δίκῃ πόλεμον ἐπισυνάπτοισι*, custodes pacis, cognitores arbitrique causarum belli indicendi legitimarum, ut eos PLVTARCHVS g) ab officio duplici appellat, ac potissimum de ritibus et formulis solennibus, tam in bello indicendo, quam in foederibus pangendis, disseremus. Ac primum de iure belli.

e) LIVIUS Lib. XXXVI. c. 3. Fecciales responderunt: *Iam ante sese, cum de Philippo consulerentur, decre-* uisse. Conf. IDEM Lib. XXXI. c. 8.  
f) Orat. pro Balbo c. 6.  
g) In Camillo, p. 137.



## CAPVT IV.

DE

IVRE FECIALI BELLICO  
EIVSQVE RITIBVS AC FORMVLIS.

## §. I.

**E**Nimvero non sola uirtus militaris, ut CICERO praedicat, a) Populo Romano nomen, Vrbi aeternam gloriam peperit, orbem terrarum parere huic imperio coëgit, sed iustitia quoque armorum, aut certe opinio iustitiae eiusque bellis praetexendae cura plurimum ualuerunt ad hanc felicitatem. b) Idque non tantum fortissimi quique Imperatores et belli Duces prae se tulerunt: quale est illud M. Furii Camilli dictum apud LIVIUM: c) Sunt et belli, sicut pacis iura: iustaeque ea non minus, quam fortiter didicimus gerere: et apud eundem d) P. Scipionis Africani gloriatio: Omnes gentes sciant, populum Romanum et suscipere iuste bella, et finire: sed complura etiam hanc in rem Veterum extant et praecleara testimonia. e) Ad hoc Romanorum studium et iustorum armorum ostentationem prouocant Rhodiorum legati Certe quidem uos estis Romani, qui ideo felicia bella uestra esse, quia iusta

F 2

a) Orat. pro Muraena c. 10.

b) Confer, ALBER, GENTILIS de Armis Romanis Libri II, quorum priore, quae de iniustitia bellica Romanorum in medium proferri possint, sitit, altero uero pro iustitia bellica Romanorum, confutatis accusatoris argumentis, dicit: iniquiorem tamen censuram de eo tulit CHRIST. THOMASIVS in Dissert. de Sponsione Ro-

manorum Caudina, § 6. seq. ubi multo apparatu contra iustitiam Romanorum armorum disputat,

c) Lib. V. c. 27.

d) Lib. XXX. c. 16.

e) Vid. DIONYS. HALIC. Lib. II, p. 131. DIODOR. SICVL. in Excerpt. Peirescian. p. 341. POLYBIVS apud SVIDAM v. ἑμβάσιον.



*iusta sint, prae uobis fertis : nec tam exitu eorum, quod uincatis, quam principis, quod non sine causa suscipiatis, gloriamini.* f) Neque enim aequitatis in bello suscipiendo gloriam Romanis omnino detrudere fas est, quamuis ea sanctitas armorum iis semper obseruata non sit, ac saepe nullis acceptis iniuriis per dominandi libidinem ulro belli occasionem et uiam sibi praeparauerint, ut saltem specioso titulo usi terrarum tandem omnium potirentur. g) Et nobis sufficere potest, ex Numae Pompilii et Ancii Marci legibus atque institutis Romanos religione obstrictos fuisse, ut non nisi purum piisque duellum susciperent, utque belli aequitatem feciali iure sanctissime perscriptam obseruarent, sacro Fecialium magistratu huius obseruantiae custode ac iudice constituto. Ita enim DIONYSIVS h) de officiis Fecialium orditur: φυλάττειν, ἵνα μηδένα Ῥωμαῖοι πόλεμον ἐξεύγκωσι κατὰ μίαν ἐσπόδον πόλεως ἀδίκου. ἀρχαίων δὲ παρασκοπεῖν εἰς αὐτοὺς ἐτέρων, πρεσβύεσθαι τε καὶ τὰ δίκαια αἰτεῖν πρῶτον λόγῳ. εἰ δὲ μὴ πείθωνται τοῖς ἀξιζόμενοις, τότε ἐπικυρῆν τὸν πόλεμον. h. e. Cavere, ne Romani ulli foederatae civitati iniustum bellum inferant. Quodsi qua prior contra foederis conditiones aliquid commiserit, legatos agere, et uerbis primo ius suum repetere, quodsi dedignetur facere postulata, tum uero bellum ratum habere. Et PLVTARCHVS: i) Οἱ μὲν γὰρ φησιάλιοι, εἰρηνοφύλακες τινες ὄντες, ὡς δ' ἐμοὶ δοκεῖ, καὶ τὸ ὄνομα λαβόντες ἀπὸ

f) LIVIUS Lib. XLV. c. 22.  
g) Quod in primis sub specioso titulo socios defendendi Romanos egisse, THOMASIVS notauit l. c. 9. 13. seq. Eleganter FLORVS Lib. I. c. 9. Liber iam hinc Populus Romanus prima aduersus externos arma pro libertate corripuit, mox pro sinibus,

acinde pro sociis, tum gloria et imperio. Conf. PETR. AERODIVS Pandect. rer. ab antiquit. indicatar. Lib. X. c. 8. CLAPMAR, Arcan. Rerum publ. Lib. IV. c. 11.  
h) Lib. II. p. 131.  
i) In Numae p. 68.



ἀπὸ τῆς πράξεως, λόγῳ τὰ νείκη κατέταυον, ἢ ἐὼντες στρατεύειν πρότερον ἢ πᾶσιν ἐλπείσα δίκης ἀποκοπῆσαι. i. e. *Siquidem pacis Feciales arbitri fuerunt, qui, mea quidem opinione, nomen ex officio suo trabentes, disceptatione comprimebant certamina, neque prius, quam abscissa omni iuris obtinendi spe, ad arma iri sinebant.* Subiicit mox idem: καλοῦντων δὲ τῶτων, ἢ μὴ συναρῶντων, ἔτε στρατιάτη θεμιτὸν, ἔτε βασιλεῖ Ρωμαίων ὄπλα κινεῖν, ἀλλὰ παρὰ τῶτων ἔδει τὴν ἀρχὴν τῷ πολέμῳ δεξάμενον, ὡς δίκαιον, τὸν ἀρχεῖγα, τότε σκοπεῖν περὶ τῶ συμφέροντος. *Intercedentibus his, aut improbantibus, neque militi licebat, neque regi Romano arma mouere, sed ab his auspicandum ei bellum ut iusto duci erat, inde, quid expediret, expendendum.* Idem loco laepius laudato, k) Feciales, cognitores arbitrosque causarum belli indicendi legitimarum dicit, sicut CICERO belli iudices, l) Idque Fecialium de iustitia bellorum statuendi officium ac potestatem, praeter exempla iam supra ex LIVIO prolata, m) confirmatum testimonium VARRONIS n), et quod est apud NONIVM MARCELLVM: o) *Nec bella indicebantur, quae tamen pia uocabant, priusquam fuisset quid Fecialibus denunciatum.*

## §. II.

Itaque Fecialium erat dispicere ac pronuntiare de iustitia bellorum, iure feciali sanctissime constituta. Iustum ut sit bellum ad peculiare effectus iuris gentium obtinendos, ante omnia oportet, inter eos illud geri, qui in ciuitate summum imperium habent. a) *Ille hostis est, ut CICERO definit, b) qui habet rem publicam, curiam, aerarium, consensum et concordiam ciuium, et*

F 3

ratio-

k) In Camillo p. 137.

l) De Legib. Lib. II. c. 9.

m) Cap. II. §. 20.

n) De Ling. Lat. Lib. IV. c. 15.

o) Cap. XII. n. 43.

a) Vid. GROTIUS de I. B. et P. Lib. III. c. 3. PVFENDORF, Iur. N. et G. Lib. VIII. c. 6. §. 9. seq.

b) Philipp. IV. c. 6.



rationem aliquam, si res ita tulerit, pacis et foederis. POMPONIUS, c) hostes esse, dicit, qui nobis, aut quibus nos publice d) bellum decreuimus; VLPIANVS, e) quibus bellum publice Populus Romanus decreuit, uel ipsi Populo Romano. Iusto et in hostem inuictum publice decreto bello opponitur illud, quod geritur in priuatos, uelut piratarum aut latronum coetus, itemque in ciues. Hos enim sicut hostes esse negant Iuris Auctores, ita effectus etiam belli iusti ac solennis in bello, quod cum talibus gereretur, euenire haut potuerunt. Hinc VLPIANVS pergit: Ceteri latrunculi uel praedones appellantur. Et ideo, qui a latronibus captus est, seruus latronum non est, nec postliminium ei necessarium est. PAVLVS: f) A piratis aut latronibus capti, liberi permanent. Ad ciuilia bella uero pertinent haec VLPIANI: g) In ciuilibus dissensionibus, quamuis saepe per eas Respublica laedatur, non tamen in exitium Reipublicae contenditur; qui in alterutras partes discedunt, uice hostium non sunt eorum, inter quos iura captiuitatum, aut postliminiorum fuerunt: et ideo captos et uendidos, posteaque manumissos, placuit superuacuo repetere a Principe ingenuitatem, quam nulla captiuitate amiserant. h) Cum uero ad bellum publice decretum, ut iusti belli nomine ex usu et decore gentium cultiorum perfecte uenire possit, requiratur etiam publica denuntiatio: hinc feciali Populi Romani iure, ut CICERO i) tradit, nullum bellum esse potuit iustum, nisi quod aut rebus repetitis gereretur, aut denuntiatum esset et indictum. Imo ab indictionis religione atque ceremoniis bella, quae iustam haberent causam, pia insuper uocata fuerunt Romanis. VARRO de Vita Pop. Rom. Lib. II. apud NONIUM k): Itaque tarde et nulla licentia suscipiebant, quod bellum nullum

c) L. 118. D. de Verb. signif.

d) Sive, ut Graeci legunt: publicum bellum, Ἰμὸς ἰον πόλιμος. Vid. IO. LEVNCLAVII Notat. Lib. II. b. l.

e) L. 24. D. de captiu. et postlim.

f) L. 19. §. 2. D. cod. tit.

g) L. 21. §. 1. D. cod. tit.

h) Conf. GER. NOODT. Comm. ad D. tit. de stat. hom. p. 19.

i) De Offic. Lib. I. cap. II.

k) Cap. XII. r. 43.



nullum, nisi PIVM putabant geri oportere, et priusquam bellum indicerent iis, a quibus iniurias factas sciebant, Feciales legatos res repetitum mittebant: ubi etiam NONIVS bella, quae indicebantur, pia uocata esse notat. Hinc ex iure feziali ortae, apud Auctores ueteres frequentissimae, loquendi formulae, quibus IVSTA PIAQVE BELLA, PIA ET IVSTA ARMA, hisque contraria INIVSTA ARMA, IMPIA BELLA dicuntur, et quarum exempla larga manu dedit BARN. BRISSONIVS, 1) His tamen addenda sunt ex ipso clarigationis carmine uerba: IVSTE PIEQVE Legatus uenio; itemque illa, quibus sententiam de bello rogati Patres dicebant: PVRO PIOQVE DVELLO res quaerendas censeo. m)

## §. III.

Et enim ita prorsus existimamus, indictionem belli tantum ex regulis decori et prudentiae deduci posse, quas post HVG. GROTIUM illustravit IO. HENR. BOECLERVS in *Dissertatione de clarigatione et Manifestis*, a) neque alias huius solennitatis origines supra inter communes gentibus moratoribus iuris feziali fontes constituimus. b) Etiam illud facile concedimus, Romanos eum morem tegendis saepius bellis iniustus adhibuisse, cum rebus repetitis publice testarentur, populum, cui bellum facerent, esse iniustum, atque hoc modo religionem denuntiationis in gloriae atque utilitatis instrumentum uertisse. Ex his tamen minime sequitur, ut III. THOMASIO c) quondam uisum fuit, nullum indictionis effectum peculiarem ostendi posse. Quin potius ipsae, quas Romani habuerunt, gloriae

1) De *Formulis Lib. IV. p. 323.*  
edit. nou.

m) Apud LIVIUM *Lib. I. c. 32.*

a) Argentorati a. 1644. habita,  
extat in *Dissertation. Academic. tomo*  
voster.

b) Conf. Viri Celeb. G. S. TREVERI

*dissert. de decoro Gentium circa belli*  
*initia*, et V. C. EV. OTTONIS  
*Adnot. ad Pufendorf. de Off. hom. et*  
*ciu. Lib. II. cap. 16. §. 7.*

c) Not. in HVBERVUM de *Iure Ci-*  
*uit. Lib. III. Sect. IV. cap. 4. n. 27.*



gloriae et utilitatis rationes ita necessario tulerunt, ut bello sine indictione gesto, non solum iusti nomen, sed etiam, quae iustum bellum sequerentur, iura negarent. Hinc enim Cn. Manlius accusatus, quod non publicum populi Romani bellum, quia nec publice decretum, nec indictum esset, sed priuatum latrocinium intulisset Gallograecis: ac propterea de triumpho, quem postulabat, concertatione orta, triumphum negaturus erat Senatus, nisi et cognati amicieque Manlii summis opibus annexi essent, et auctoritas seniorum praeualuisset, d)

## §. IV.

Imo uero, quod in foro et iudiciis ciuilibus efficit litis contestatio, hoc inter summas potestates in bello praestat solennis indictio, per quam status ille de iure controuerso per uim certantium initium capit. Cum enim bellum non in actione aliqua hostili, uelut proelii, oppugnationis, populationis, sed in conditione certa populorum consistat, a) fitque, ut SERVIVS b) ait, *tempus omne, quo uel praeparatur aliquid pugnae necessarium, uel quo pugna geritur: per indictionem belli solenniter et publica professione facta iudicium armorum suscipitur.* Ad hoc respiciens LIVIVS, c) cum retulisset, Acarnanas agrum Atticum ferro ignique esse depopulatos, subiicit, *irritationem animorum eam primam fuisse: postea iustum bellum decretis ciuitatum ulro indicendo factum.* Idem uero ubi Menippum, praefectum Antiochi, Romanos milites, *nondum aut indicto bello, aut ita commisso, ut strictos gladios, aut sanguinem usquam factum audissent, repente palatos aggressum caecidisse, scribit, eam rem ad ius inferendi Antiocho belli adiecisse aliquantum usam esse Romanis, indicat.*

d) LIVIVS Lib. XXXVIII, c. 45, et 50.  
a) GROTIUS de I, B, et P. Lib. I.

Cap. I, §. 2. ibique GRONOV.  
b) Ad Lib. VIII, Aeneid, v. 547.  
c) Lib. XXXI, c. 14.



dicat. *d*) Et hanc ipsam iusti belli constitutionem innuit quoque VIRGILIVS, *e*) Iouem in concilio Deorum sic loquentem faciens:

*Adueniet iustum pugnae (ne accersite) tempus,*

*Cum fera Carthago Romanis arcibus olim*

*Exitium magnum atque Alpes immittet apertas:*

*Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.*

Neque frustra ad haec uerba clarigationis indictionisque ritum exponit SERVIUS, et, ubi hasta iacta erat, *pugnae principium fuisse dicit, et iam licuisse more belli res rapere.* Quamuis itaque impunitatem in laedendo hoste et rerum ab hostibus captarum acquisitionem, communi gentium iure peculiare indictionis effectus, qui bellum sua natura non sequantur, cum GROTIUS *f*) statuendos, minime putem: Romanos tamen, qui solenni belli indictione ex iure feicali utebantur, ab aliis populis indictionem iure suo exegisse, eiusque omissionem pro iniuria recte habuisse, quae iustam belli causam praeretur, ut de bello cum Antiocho uidimus, aut quae eam ab hoste in Romanos transferret, affirmare non dubito. Cum enim constaret inter gentes, Romanos bella ex edicto gerere, neque alia pro iusti habere; aequum erat illis, tanquam reis, eodem modo Martem iudicem ferre, quo illi, prisca Graecarum gentium instituta secuti, per clarigationem et indictionem solebant. Ceterum sicut cum eo, qui in lite priuata iam accepto iudicio interuenit reoque se adiungit, non intercedit noua litis contestatio: ita noua belli indictio secundum ius feicale non erat facienda his, qui se focios adiunxissent hosti, cui bellum indictum esset. Sic enim M. Acilio, cum ex Scto ad collegium Feacialium de bello Regi Antiocho indicendo, *et num Aetolis*

G

quoque

*d*) Lib. XXXV, c. 51. Ita et Lib. I, c. 15 *Veientes in fines Romanos excurrisse scribit, populabundos magis, quam iusti more belli.*

*e*) *Aeneid.* Lib. X, v. 11.

*f*) *De Iur. B. et P.* Lib. III, Cap. 3, §. 11. et Cap. IV, sequ.



L CAP. IV. DE IVRE FECIALI BELLICO

quoque separatim indici iuberent bellum? Feciales responderunt: Aetolos ultro sibi bellum indixisse, cum Demetriadem sociorum urbem per vim occupassent, Chalcidem terra marique oppugnatam essent, regem Antiochum in Europam ad bellum populo Romano inferendum iraduxissent, g)

§. V.

Ne solemnem belli indictionem cum priuatae litis contestatione temere contulisse uidear, poteram ad comparisonem utriusque, sagatae et togatae militiae, ueteribus omnino usitatam, a) uimque illam imaginariam et ciuilem, e bello in forum translata, prouocare. Sed uero mox apparebit, non meliorem huic iuris fecialis parti lucem, quam ex illa ipsa, quam exorsus sum, collatione adfundi posse. Admodum hanc rem turbarunt Viri doctissimi, dum clarigationem, quae praecedere solebat, parum distinxerunt ab indictione belli: b) quae tamen et nomine, et diuersis legationibus, et ordine ac tempore, quo peragebantur, tum uero et fine, et distincto ritu proprioque carmine fatis discretas erant. Nimirum ante indictionem belli res repetebantur, eaque actio clarigationis c) nomine significabatur. Diserte ita PLINIUS: d) Le-

g) LIVIUS Lib. XXXVI. c. 3.

a) Vid. V. C. EV. OTTONIS Praef. ad Thef. Iur. Rom. Tom. III. p. 30. edit. nou.

b) Dum plerique cum GROTIUS de I. B. et P. Lib. III. c. 3. §. 7. distinguunt inter belli indictionem conditionatam, quae cum rerum repetitione coniuncta sit, et puram, quae illam, sequatur. Conf. HVBER, de Iur. Ciuit. Lib. III. sect. 4. c. 4. §. 28. BOECLER, de Clarigat. et manifest. cap. I.

e) Alia significatione dicitur clarigatio apud LIVIUM Lib. VIII. c. 14. Vt eius, qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo clarigatio esset. Si MARCELL DONATVM DILICID. p. 18. TVRNEBVM Ad. Lib. XXI. cap. 1. BVDAEVM ad Pand. p. 248. VOSSIVM Lex. Etymol. h. v. audimus. notat ibi pignorationem, ἀισροληψίαν, barbaro uocabulo repressalias. Nobis de loco isto ampliandum uidetur.

d) Hist. Nat. Lib. XXII. c. 2.



gati, cum ad hostes CLARIGATVMQVE mitterentur, i. e. RES RAPTAS CLARE REPETIVM. SERVIVS tamen in explicanda huius uocabuli origine parum sibi constat, dum alio loco a claritate uocis eam deriuat, alibi uero anceps haeret, utrum a clara uoce, qua utebatur Pater patratus, an uero ἀπὸ τῆς κλήσε, h. e. a sorte dicatur? Bellica enim sorte, inquit, hostium agri inuadebantur. e) At SERVIVM in hanc dubitationem non alia res deduxit, quam quod clarigationis ab indicatione belli discernendae rationem neglexisset. Patet eius error ex his, quae ad istos VIRGILII uersus: f)

- - Et iaculum intorquens emitit in auras

Principium pugnae:

scribit: Hoc de Romana solennitate tractum est. Cum enim uolebant bellum indicere, Pater patratus h. e. Princeps Fecialium proficiscatur ad hostium fines, et praefatus quaedam solennia, clara uoce dicebat, se bellum indicere propter certas causas, aut quia socios laeserant, aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios reddiderant. Et haec clarigatio dicebatur a claritate uocis. Et ad illa:

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit:

Clarigationem, inquit, exercere, h. e. per Feciales bella indicere. Nam si quando hominem aut animalia ab aliqua gente rapta essent populo Romano, cum Fecialibus, i. e. sacerdotibus, qui faciendis praesunt foederibus, proficiscatur etiam Pater patratus, et ante fines stans clara uoce dicebat belli causam, et nolentibus res captas restituere, uel auctores iniuriae tradere, iaciebat hastam, quae res erat pugnae principium, et iam licebat more belli res rapere. Clarigatio uero dicta, aut a clara uoce, qua utebatur Pater patratus, aut ἀπὸ τῆς κλήσε, h. e. a sorte. Cum igitur ex PLINII supra positis uerbis, ac praeterea ex ARNOBII loco, quem in margine adscripsimus, g) omnino constet,

G 2

rerum

a) Ad Lib. X. Aeneid. v. 14.

f) Lib. IX. Aeneid. v. 52.

g) Adu. Gent. Lib. II. p. 91. edit.

Lugd. Bat. Cum paratis bella, signum

monstratis ex arce? aut fecialia iura tractatis? per clarigationem repetitis res raptas?



rerum repetitionem fuisse clarigationem, neque sit uerosimile, ipsam indictionem hoc nomine Romanis simul intellectam esse: mirari conuenit plerosque rei grammaticae et antiquitatis Romanae peritissimos Viros tam facilem adfensum SERVIO praebuisse, cuius tamen lapsum accurate monstrauit MARCELLVS DONATVS. *b)*

## §. VI.

Ad ipsam legationem clarigationis causa missam quod attinet, *Feciales Legatos res repetitum quatuor, quos Oratores uocabant*, ex VARRONE, *a)* et quidem auctoritate Senatus missos esse praefertim ex LIVII multis locis *b)* constat. Nec tamen proprium huic legationi Fecialium nomen fuit *Oratorum*, ut e VARRONIS uerbis colligendum uideri possit: quin potius omnibus legationibus, in quibus agebant conceptissimis uerbis atque Diis testibus inuocatis, communem hanc Fecialium appellationem

*b)* Dilucidat, p. 12.

*a)* Lib. III. de Vita Pop. Rom. apud NON. MARCELLVM Cap. XII. n. 43. Quamuis LIVIVS aliquando tres, Lib. III. c. 25. Lib. XXXI. c. 18. et Lib. XLII. c. 25. imo duos, Lib. XXI. c. 6. et 10. res repetitum missos tantum commemoret. VARRO eum numerum retulit, qui ordinarius esset, Fortassis etiam LIVIVS alias uerbenarium, alias uerbenarium atque comitem Patri patrato et Feciali clariganti additum haut connumeravit. Quos uero idem Lib. XXI. c. 21. Legatos quinque Carthaginem missos scribit, non fuisse Feciales, secus ac IENSIO de Fecialib. c. 4. uidetur, satis apparet ex his, quae c. 22. de

legatione ista exponit. Ceterum cum Fecialibus ad res repetitum euntibus alios quandoque legatos splendoris et auctoritatis maioris cauti missos esse, docent exempla apud DIONYSIVM in *Excerpt. Legat.* p. 739. *f.* et Lib. IX. *Antiquit.* p. 649. Et LIVIVS Lib. IV. c. 58. per Legatos Fecialesque res repetitas ab Veientibus refert.

*b)* Lib. IV. c. 10. et c. 58. Lib. VII. c. 6. et c. 32. Lib. VIII. c. 22. Lib. X. c. 12. et c. 45. DIONYSIVS Lib. IX. p. 617. VALER. MAX. Lib. II. c. 2. Conf. M. AVGVSTIN. CAMPIANVS de off. et Pot. Magistrat. Rom. ad tit. de Senatorib. c. 18.



lationem fuisse, cum antiqua fert significatio uerbi *orare*, c) tum lex CICERONIS: *Foederum, belli, pacis, induciarum, oratores, Feciales, iudices sunt*, d) satis declarat. Plane VARRONIS locus refellit obseruationem GVIL. BVDAEI e) FRANC. POLLETI f) et CAR. PASCHALII, g) eos, qui res repeterent bellumque indicerent, *Legatos et Feciales*, qui pacis exposcendae foederisue rogandi causa legationem obissent, *Oratores* uocatos esse, h) Id uero dubium est, quis proprie clarigationem

G 3

uoce

c) FESTVS *h. v.* Orare antiquos dixisse pro agere, *testimonio sunt, quod et Oratores, et ii, qui nunc qui dem Legati, tunc uero Oratores, quod resp. mandatas partes agebant. Et in v. Oratores, PAVLVVS ex FESTO* notat: *Oratores ex Graeco ἀπατητες dicti, quod missi ad reges nationesque Deos solent ἀπαθαί, i. e. testari, hi modo appellantur Legati. Conf. IO. FVNGER. in etymolog. graec. lat. p. 714.*

d) De Legib. Lib. II. c. 9.

e) In Pand. p. 215.

f) For. Rom. Lib. II. c. 6.

g) De Legat. c. 2.

h) Vtuntur hi viri doctissimi ad stabiliendam sententiam suam loco VIRGILII Lib. VII. *Aeneid. v. 152.*

*Tum satus Anchisa detectos ordines ab omni*

*Centum Oratores augusta ad moenia Regis*

*Ire iubet, ramis uelatos Palladis omnes,*

*Bonaque ferre uiro, pacemque exposcere Teucriis*

et Q. CVRTHI Lib. V. c. 3. *Inde tringinta oratoribus missis ad deprecandum, triste responsum a Rege redditum: non esse ueniae locum. Addi potest LIVIVS Lib. X. c. 12. Principio huius anni oratores Lucanorum ad nouos Coss. uenerunt questum, quia conditionibus pellicere se nequuerint ad societatem armorum, Samnites infesto exercitu ingressos fines suos uastare, belloque ad bellum cogere. Orare Patres, ut et Lucanos in fidem accipiant, et uim atque iniuriam ab se Samnitium arceant. Imo uero promiscuum nomen Oratoris et Legati usum porro confirmant PLAVTVS Stich. Act. III. Sc. 2. v. 34. Oratores ueniunt huc legati publice: VARRO de L. L. lib. VI. c. 3. Orator ab oratione dictus: Qui enim uerba habebat orationum publice aduersus eum, quo legebatur, ab Oratione Orator dictus: cum res maiore ratione legebantur potissimum, qui causam commo-distime orare poterant. SERVIIVS ad Lib. XI. *Aeneid. v. 100. Oratores, Legati a perorando pro republica nominati, quod orabant, i. e. agebant: unde**



uocet et carmine peregerit? PLINIUS *i)* quidem unum ex his Legatis *uerbenarium* semper uocatum fuisse, docet: at hunc ipsum clarigationis munere functum, uerosimile non uidetur, quem sagmina, Fecialium insignia, ferentem, sacrae legationi ad hostes missae comitem datum, iam supra contemplati sumus. Patrem patratum clarigasse, SERVIUS loco paulo ante relato auctor est, cuius fidem et olim secutus ANT. CLAR. SYLVIVS, *k)* et LIVIUS *l)* auctoritatem SERVIO addendam existimarunt Viri Clarissimi, IO. BARBEYRACCIUS *m)* et IO. IENSIVS. *n)* Mihi tamen, pace Virorum doctissimorum, liceat adhuc ueteres Auctores, clarigationem Fecialibus in genere tribuentes, tum uero ipsum LIVIUM, *o)* qui, *Legatum Populi Romani res repetiisse*, ubique scribit, ac praefertim DIONYSIUM HALICARNASSEVM, *p)* quo auctore, *εἰς μὲν ἐκ τῶν εἰρηνοδικῶν, ὃν οἱ λιπὸς προχειρίσαντο*, unus Fecialium, electus a collegio, uersus infestam ciuitatem profectus, clarigationis solennia peregit, SERVIUS anteferre. Quodsi enim is electus est a Collegio, cuilibet e Fecialium numero haec functio obtingere suffragiis aut forte potuerit, oportet: in Patris patrati uero persona electio quomodo locum habuisset, cuius dignitatem perpetuam fuisse uidimus?

## §. VII.

Haut exigua tamen difficultas imminet ex isto, quem laudati

unde et actores causarum oratores appellantur. VLPIANVS in l. 7. D. ad l. Iul. de ut publ. Item quod ad Legatos, Oratores comitesue attinebit: ubi Oratores inepte de Magistris exposuit ACCVRSIVS. MARCIANVS uero in l. 8. §. 1. D. de rer. diuis. Feciales legatos Populi Romani dicit.

*i)* Hist. Nat. Lib. XXII. c. 2.

*k)* Ad Leges Reg. c. 12.

*l)* Lib. I. c. 32.

*m)* In not. ad GROTIUM de I. B. et P. Lib. III. c. 3. §. 7. not. 9.

*n)* De Fecialib. c. 7.

*o)* Lib. I. c. 22. et c. 32. Lib. III. c. 25. Lib. IV. c. 58. Lib. VIII. c. 23. Lib. XXXVIII. c. 45. Lib. XLII. c. 25.

*p)* Antiquit. Lib. III. p. 132.



ti Viri Clarissimi IAC. GRONOVIO opponunt, LIVII loco et e formula, qua, reuerſis ex legatione PECIALIBUS, Romae Patres conſuluiſſe fertur Rex Ancus: QVARVM RERVM, LITIVM, CAVSARVM CONDIXIT PATER PATRATVS POPVLI ROMANI QVIRITIVM PATRI PATRATO PRISCORVM LATINORVM. Enimuero quod IAC. GRONOVIVS a) putauit, uerba formulae referenda eſſe ad foedus, quod cum Latinis fecerant Romani, et quod Patres patrati utriusque populi nomine ſibi inuicem condixerant, *certas res ſibi dari ſoluique oportere*, hoc docte reſellit BARBEYRA CCIVS, b) oſtendens, totum narrationis ſilum apud LIVIVM interpretationi illi repugnare. Neque ſatis accurata uideretur obſeruatio IO. GE. GRAEVII, qui uerbum *condicere*, pro *denuntiare*, negat uel apud CICERONEM, uel apud alium quemcunque melioris aetatis ſcriptorem legi, ſed ſemper de duobus in unam rem, diem locumue conſentientibus illud adhiberi cenſet. c) Nam et in loco CICERONIS, quem in margine adſcripſi, d) *condicere* uix aliam interpretationem recipit, quam ut ſit *denuntiare*, et *ſtatus conductus* diſes nihil aliud notat, quam diem, qui *cum hoſte*, i. e. peregrino, *intercedit*, uel *ſtatus* a Praetore, uel *conductus* i. e. *denuntiatus*

a) Ad LIVII Lib. I. c. 32.

b) Loc. cit. et, qui ſimiles rationes adfert, IENSIVS de Feſtialib, c. 7.

c) Ad CIC. Orat. pro Rabirio c. 5. Quam ſignificationem omnino firmare contendit IAC. GRONOVIVS Obſeruata Lib. I. c. 1. Conf. Cl. DVCKERVS de Latinis. Vet. ICter. p. 309.

d) Lib. I. Fam. Ep. 9. Crasſus, ut quaſi reſtata Populo Romano eſſet noſtra gratia, poene a meis laribus in prouinciam profectus eſt: nam, cum mihi condixiſſet, coenauit apud me in

generi Crasſepedis hortis. Imo uero locutiones, *condicere coenam*, uel *ad coenam*, neſcio, cur aliter explicandae ſint, quam *denuntiare coenam*, uel *ad coenam*, quibus opponitur, *promittere ad coenam*, et hinc *coena promiſſa*, cui opponitur *coena conducta*, i. e. *denuntiata*? Coena promiſſa uidetur potius explicanda eſſe, in quam inuitatione et promiſſione conſenſum eſt: cum ſit *conducta*, quae ab altero, tanquam familiariſſimo, prius et ultero denuntiata eſt,



riatus ab actore. e) Hoc modo TACITVM f) de Germanis scribentem: *Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant: Sic constituunt, sic condicunt; explicare nullus dubito. Quid? quod condicere apud GELLIVM, g) per in ius uocare exposuit, et ipsam, qua de agimus, relationis de bello formulam in hunc sensum accepit IO. FRID. GRONOVIVS, h) Ad quae cum accedant testimonia SERVII, i) qui conditionem in iure augurali pro denuntiatione dictam tradit, et FESTI, k) qui condicere, explicat, dicendo denuntiare, et conditionem notat esse in diem certum eius rei, quae agitur, denuntiationem: nil cauae uideo, cur diutius haerendum sit in solemnibus illis uerbis: QVARVM RERVM, LITIVM, CAVSARVM CONDIXIT PATER PATRATVS POPVLI ROMANI QVIRITIVM PATRI PATRATO PRISCORVM LATINORVM, quo minus singula uerba, denuntiationi, qua res repeterentur, conuenientissima, de clarigatione, siue rebus repetitis intelligamus? At si condicere notat clarigare, id quod etiam TVRNEBO, l) GRO-TIO m) et IO, DOVIATIO n) probatur: quid iam extra dubitatio-*

e) In Legibus XII. Tabularum, tabula II. Vid. THEOD. MARCELLIVS Interpretam. c. 2. CICERO Lib. I. Off. c. 12. PLAVTVS Curcul. A. 1. Sc. 1. v. 5. GELLIVS Noct. Att. Lib. XVI. c. 4. FESTVS v. Status dies.

f) De mor. Germ. c. II.

g) Noct. Att. Lib. VI. c. 2. Peccata quoque hominum et delicta non succensenda neque condicenda: quae simillima illis, quae exstant Lib. VII. c. 3. Facta sola censenda dicit atque in ius nocanda.

h) Ad loc. cit. Sed IAC. GRO-

NOVIVS legit eo loco: *Non succensenda neque inducenda.*

i) Ad Lib. III. Aeneid. v. II7.

Tertia lux classem Cretacis sisset in oris:

Hoc quidam iuxta speciem auguralem postum tradunt, quae appellatur condictio, id est, denuntiatio, cum denuntiat, ut ante diem tertium quis ad inaugurandum adfit.

k) V. Condicere et Condictio. Conf. BRISSONIVS de Form. Lib. V. p. 347.

l) Aduersar. Lib. XXX. c. 29.

m) De I. B. P. Lib. III. c. 3. §. 7. n. 2.

n) Ad LIV. Lib. I. c. 32.



bitationem magis esse potest, quam *clarigasse* Patrem patratum, quem *condixisse*, formula expresse loquitur?

## §. VIII.

Sed salua res est! Quoniam Pater patratus et caput collegii, penes quod belli arbitrium existebat, et princeps erat legationis ad res repetendas missae: hinc factum est, ut ipse *condixisse* i. e. denuntiasse memoretur, et quidem *Patri patrato Latinorum*, utpote cuius esset de satisfactione a Romanis postulata deliberationem instituere eamque ciuitati suae suadere. Nisi, quod ualde suspicor, formula errore librariorum corrupta est, et ex siglis, P P. quae significabant: *populis*, efficta sunt uerba: *Patri patrato priscorum Latinorum*. a) Firmant hanc suspicionem formulae indictionis uerba: QVOD POPVLI PRISCORVM LATINORVM: et: OB EAM REM EGO POPVLVSQVE ROMANVS POPVLIS PRISCORVM LATINORVM: ubi nulla Patris patrati fit mentio. Vtunque sit, qui a collegio ad clarigandum electus erat Feclialis, capite uelato, ueste, et sacris exornatus gestaminibus, i. e. sagminibus, quae uerbenarius ei praeferebat, tanquam Legatus Populi Romani insignitus et contra uim omnem munitus, cum Patre patrato et uno aut pluribus comitibus legationis proficisceretur ad infestam regionem, ibique res repetebat solenni ritu, ac nomine Patris patrati populi Romani ex certa formula condicebat. Omnem clarigationis ritum DIONYSIVS b) pluribus exponit

H

nit

a) Facillime id euenit, cum eadem siglae: P. P. notent *Patrem patratum* apud VALER. PROBVM.

b) *Lib. III. p. 131.* ubi ita praefatur: "Ἄξιον γὰρ μηδὲ ταύτ' ἀγνοεῖν, κατὰ πολλὴν φροντίδα

τῶν ὁσίων ἔ δικαίων γινόμενα. Nam et haec non ignorare dignum est, in quibus ius et fas maxima cura quaeritur. Quare LACTANTIUS *Lib. VI. Div. Inst. c. 9.* ut notaret has ceremonias bellis iniustus rege-

dis



nit. Legatus cum primum fines eorum, unde res repeterentur, attingisset, Iouem ceterosque Deos inuocans palam testabatur, uenire se, ut Populo Romano ius suum repetat: deinde, iuratus, ire se ad iniustam ciuitatem, et si quid mentiatur, grauissimas et sibi et ciuitati diras imprecatus, intra fines ingrediebatur, et quem primum obuium nactus esset, eum testabatur, siue is ex urbe esset, siue ex agro, ac repetitis iisdem execrationibus pergebat ad urbem. Quam priusquam ingrederetur, uel portae custodem, uel primum quemque in porta obuium similiter testatus in forum tandem procedebat, ibique stans Magistratibus aduentus sui causam, iurciurando et execrationibus usquequaque interpositis, indicabat. Ipsa uero carminis, quo res repetebantur, solennia uerba seruaui nobis LIVIVS, c) haec: AVDI, IVPITER, AVDITE FINES, ( cuiuscunque gentis sunt, nominat, ) AVDIAT FAS, d) EGO SVM PVBLICVS NVNTIVS POPVLI ROMANI. IVSTE PIEQVE LEGATVS VENIO, VERBISQVE MEIS FIDES SIT. Peragit deinde postulata. Inde IOVEM TESTEM facit:

dis facpius inferuisse: *Quantum, ait, a iustitia recedat utilitas, populus ipse Romanus docet, qui per feciales bella indicendo et legitime iniurias inferendo, semper aliena cupiendo atque rapiendo, possessionem sibi totius orbis comparauit. Vid. ALB. GEN- TILIS de Armis Rom. Lib. 1. c. 3.*

c) *Lib. 1. c. 32. Vbi ritum clarificationis breuius describit: Legatus, ubi ad fines eorum uenit, unde res repeterentur, capite uelato: (filium lanae uelamen est) Audi Iupiter, inquit, &c. Fac, cum fines suprascandit; haec quicumque ei primus uir obuius fuerit; haec, portam ingrediens; haec, fo-*

*rum ingressus, paucis uerbis carminis, concipiendique iurisiurandi mutatis, peragit.*

d) *Hanc plane solennem foederum ruptorum testationem, in qua Iouem praefertim foederum testem inuocabant, docet LIVIVS Lib. VIII. c. 5. ubi T. Manlius Cof. aduersus Annium Latinorum legatum locutus et ad simulacrum Iouis conuersus: Audi Iupiter haec scelera, inquit, audite Ius Fasque! Et deinde cum Annium per gradus templi lapsum uidiisset, exclamat: Bene habet. Diu- pium mouete bellum! Est coeleste Ni- men, Es magne Iupiter!*



*facit*: SI EGO INIVSTE IMPIEQVE ILLOS HOMINES ILLASQVE RES DEDIER NVNTIO POPVLI ROMANI MIHI EXPOSÇO, TVM PATRIAE COMPOTEM ME NVNQVAM SIRIS ESSE.

## §. IX.

Videmus itaque, hac solenni denuntiationis cerimonia Feccialem Populi Romani condixisse, QVAS RES DARE, FACERE, SOLVERE OPORTERET ciuitatem infestam. His enim propriis condictionum uerbis, quibus repeterentur res siue ex pactione, siue ex maleficio, itemque noxalis actionis uerbis DEDIER MIHI EXPOSÇO, egisse eum postulata, colligere licet cum ex ipso, quem modo adduximus, LIVII loco, tum ex formula relationis de bello indicendo, quam paulo ante exposuimus, atque insuper ex SERVIO, causas rerum repetitionis faciendae iustas referente: a) idemque admonuit ὁ πᾶν GROTIVS. b) Videmus porro, Diis testibus inuocatis et imprecationibus in caput suum factis, *ni iuste pieque illos homines illasque res dedier sibi postulare*t, eam, sicut sacramento et sponcione in actionibus ciuilibus fiebat, c) prouocasse. d) Clarigatione uero facta, si quidem ciuitas, quae laecerat, satisfactionem offerret, uel auctores iniuriae dederet, Legatus Populi Romani, eos secum abducens, ut DIONYSIVS ait, amicus ipse ab amicis discedebat. Sin autem secus fieret, non solum omnem operam dabat, ut satisfactionem petitam impetraret, eamque in rem cum magistratibus agebat, id quod Legatorum ad Samnites rerum repetendarum causa missorum orationes

H 2

nes

- |   |   |
|---|---|
| a) <i>Ad Lib. IX. Aeneid. v. 52. vid.</i>     | c. 21. BRISSON. <i>de Form. Lib. V.</i>   |
| b. C. §. V.                                   | p. 348.                                   |
| b) <i>De Iure B. et P. Lib. II. c. I.</i>     | d) Hinc LIVIUS <i>Lib. IV. c. 30.</i>     |
| §. 2. et <i>Lib. III. c. 3. § 7.</i>          | <i>Missos Fecciales, more patrum, IV-</i> |
| c) Vid. POLLET. <i>For. Rom.</i>              | <i>RATOS RES REPETIISSE a Ve-</i>         |
| <i>Lib. V. c. 5. SIGON. de Iudic. Lib. I.</i> | <i>ientibus, scribit.</i>                 |



nes apud DIONYSIVM e) testantur, uerum etiam tempus ad deliberandum expentibus dabat. Et quidem, ut DIONYSIVS auctor est, primum *decem concessis diebus* reuertebatur, deinde ad tertiam petitionem usque expectabat: unde *dies XXX. solennes et iustos* spatio deliberandi fuisse, dubitare haut finit ista similitudo, quae his diebus intercedit cum *diebus XXX. iustis*, quae ex Lege XII. tabularum in iure priuato *aeris confessi aerisque debiti indicatis* dabantur, f) et cum totidem diebus iustis, cum exercitus esset imperatus et uexillum rufi coloris in arce positum. g) Imo uero, *dies praeliaries*, scribit MACROBIVS, *ab iustis non segregauerim. Praeliaries autem omnes, quibus fas est res repetere, uel hostem laceessere.* Accedit, quod LIVIVS, h) prius licet, quam rerum repetendarum ceremonia iuri feziali addita, regnante Tullo Hostilio ab Albanis res repetitas, et *neganti Albano bellum in trigessimum diem indictum* refert. Quare, quod idem inter solennes belli indicendi ritus *dies tres et triginta solennes* fuisse tradit, i) quibus *peractis bellum indiceretur*, intelligendum erit de triduo, quo Legatus post aduentum suum expectarit satisfactionem, antequam dies triginta iustos petentibus daret. k) Hi uero dies, pergit DIONYSIVS, si, non impetrato iure, fuerint praeterlapi, ciuitasque infesta res dare uel soluere recusaret, Superos atque Inferos obtestatus Fezialis discedebat, hoc solum profatus, *Populum Romanum super ea re per otium deliberaturum.* Ipsa, quibus

e) In Excerpt. Legat. p. 740. seq. Conf. PETR. AEROD. Rer. ab antiquit. indicat. Lib. X. Tit. 3, c. 6.

f) GELLIVS Noct. Act. Lib. XX. c. 1.

g) MACROBIVS Saturnal. Lib. I. c. 16.

h) Lib. I. c. 22.

i) Lib. I. c. 32. Ita quoque SER-

VIVS ad Lib. X. Aeneid. v. 53. Post tertium autem et trigessimum diem, quam res repetissent ab hostibus, Feziales hastam mittebant.

k) Quare non est necesse, ut cum SIGONIO apud LIVIVM Lib. I. c. 22, pro trigessimum legamus trigessimum tertium diem.



quibus id fiebat, concepta uerba refert LIVIVS: AVDI, IV-  
PITER ET TV IVNO, QVIRINE, DIIQVE OMNES COE-  
LESTES, VOSQVE TERRESTRES, VOSQVE INFERI  
AVDITE. EGO VOS TESTOR, POPVLVM ILLVM (*qui-  
cunque est nominat*) INIVSTVM ESSE, NEQVE IVS PERSOL-  
VERE. SED DE ISTIS REBVS IN PATRIA MAIORES NA-  
TV CONSVLEMVS, QVO PACTO IVS NOSTRVM ADI-  
PISCAMVR. Testationem hanc LIVIVS *indictionem belli* no-  
minat, cum tamen bellum, antequam indiceretur, legitime  
decernendum fuisse atque ipsam indictionem alio ritu et car-  
mine factam nouerimus. Optime dicitur, LIVIVM hac for-  
ma ideo locutum esse, quia Feialis Deos testatus, populum  
iniustum esse, nec ius persoluere, palam faciebat, in eam iu-  
sta piaque arma sumi iam posse: quo ipso bellum a Senatu Po-  
puloque Romano iuste decernendum annuntiabat ac tanquam  
certo imminens indicebat, postquam nihil reliqui factum esset,  
quo Populus Romanus ius suum sine armis consequeretur. 1)

## §. X.

Rebus ita publice ac solemniter repetitis, Romam ad con-  
sulendum reuertebatur Feialis nuntius Populi Romani, atque  
assumptis ceteris Feialibus referebat ad Senatum, omnia se rite  
ex sacrarum legum praescripto exsecutum, et si uelint bellum  
decernere, id illis iuste pieque per Deos licere. Alioqui si  
quid horum omisum esset, neque Senatui fas erat bellum de-  
cernere, neque populo. a) Verba solennia relationis, qui-  
bus de bello Latinis indicendo Patres primum consuluit Rex  
Ancus, indicat nobis LIVIVS: QVARVM RERVM, LITIVM,  
CAVSARVM CONDIXIT PATER PATRATVS POPVLI RO-

H 3

MANI

1) Conferantur uerba Fealium  
a Samnitibus res repetentium, infra  
§. XI. ex DIONYSII *Excerptis legat.*

adferibenda.

a) DIONYSIVS *Lib. II. p. 132.*  
PLVTARCH., in *Numa p. 68.*



MANI QVIRITIVM PATRI PATRATO PRISCORVM LATI-  
 NORVM HOMINIBVSQVE PRISCIS LATINIS, QVAS RES  
 DARI, FIERI, SOLVI QPORTVIT, QVAS RES NEC DE-  
 DERVNT, NEC FECERVNT, NEC SOLVERVNT, DIC,  
*inquit ei, quem primum rogabat sententiam, QVID CENSES?*  
*Tum ille: PVRO PIOQVE DVELLO QVAERENDAS CEN-*  
 SEO, CONSENTIO CONSCISCOQVE. *Inde alii rogabantur,*  
 pergit LIVIVS, *quandoque pars maior eorum, qui aderant, in*  
*eandem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitum.* Et hic  
 ordo postea in republica Romana servatus fuit, *b)* ut, ubi Fe-  
 ciales frustra ad res repetendas missi essent, Consules referrent  
 ad Senatum, cumque censuissent Patres *rogationem de bello ad*  
*populum ferendam, eaque a Consulibus, c)* aut Tribunis mili-  
 tum consulari potestate, *d)* vel etiam Praetore, *e)* ad popu-  
 lum in comitiis centuriatis lata esset, populusque bellum iuf-  
 fisset, iterum auctores fierent Patres, i. e. ex Scto bellum in-  
 diceretur, atque gereretur. *f)* Hinc L. Furius Purpureus et  
 L. Aemilius Paulus Cn. Manlium, quod iniussu populi Romani  
 bellum aduersus Gallograecos gessisset, accusantes: *Ei na-*  
*tionem non ex Senatus auctoritate, non populi iussu bellum illatum, cri-*  
*minantur: quod quem unquam de sua sententia facere ausum? Aa-*  
*tiochi, Philippi, Annibalis et Poenorum recentissima bella esse, de*  
*omnibus his consultum Senatum, populum iussisse: saepe Legatos ante*  
*missos, res repetitas: postremo qui bellum indicerent missos.* Hinc etiam,  
 de M. Iuuenio Talna Praetore, qui populum aduersus  
 Rhodios

*b)* LIVIVS *Lib. IV. c. 30. et 50.*  
*Lib. VII. c. 6. et 32. Lib. VIII. c. 22.*  
*Lib. X. ca. 12. et 45. Lib. XLII. c. 30.*  
 DIONYS. *Lib. IX. p. 617. VALER.*  
 MAX. *Lib. II. c. 2.*  
*c)* LIV. *Lib. IV. c. 30. Lib. XXXI,*  
*c. 6. Lib. XLII. c. 30.*

*d)* LIVIVS *Lib. IV. c. 58.*  
*e)* IDEM *Lib. XLV. c. 21.*  
*f)* Vid. BRISSON. *de Form. Lib. II.*  
*p. 28. CAMPIANVS de Off. et po-*  
*test. Magistrat. Rom. ad Tit. de Se-*  
*natorib. c. 18.*



Rhodijs incitabat, rogationemque promulgauerat, ut Rhodijs bellum indiceretur, et ex Magistratibus eius anni deligerent, qui ad id bellum cum classe mitteretur, se eum sperans futurum esse, LIVIVS g) scribit: *Sed et Praeior nouo maloque exemplo rem ingressus erat, quod ante non consulto Senatu, non Consulibus certioribus factis, de sua unius sententia rogationem ferret, VEL- LENT IVBERENTINE RHODIIS BELLVM INDICI: cum antea semper prius Senatus de bello consultus esset, deinde ad populum latum.* Et populi quidem iussum etiam tunc necessarium esse, ubi induciae tantum, non pax cum aliquo populo factae eaque uiolatae, inde bellum renouaretur, peruicerunt Tribuni plebis, cum anno V. C. CCCXXVII. contouersia de eo incidisset, utrum populi iussu indiceretur bellum Veientibus, an satis esset Senatusconsultum? h)

## §. XI.

Saepius tamen non bellum statim a Senatu decretum, sed iterum ex SCTo ad res repetendas missos Feciales, illa ipsa Furii et Aemilii aduersus Cn. Manlium dicta uerba indicio sunt. Cumque ex legibus Numae summa in primis cura esset Fecialium, ne foederatae ulli ciuitati iniustum bellum inferretur: quodsi qua prior contra foederis conditiones aliquid commisset, Legatos agere et uerbis primo ius suum repetere oporteret: a) inde, quoties a foederato populo res repeterentur, omni opera hoc actum deprehendimus, ut ille ad reparationem iniuriae et fidem foederis sine bello reuocaretur. Hinc Legati ad Samnites iniuriam ruptumque foedus questum mis-

fi,

g) Lib. XLV. c. 21.

h) LIVIVS Lib. IV. c. 30.

a) DIONYSIVS HALIC. Lib. II. p. 131. Qui etiam Lib. III. p. 138. refert, iam in foedere Romuli cum Albanis facto cautum fuisse, ut neutri populo fas

esset bellum inferre alteri: quodsi alteruter crimen aliquod actionemue haberet, laesos debere in ea ciuitate ius petere, a qua profecta esset iniuria: id si non impetrarent, tum uero bellum inferri posse, ut necessarium, soluto iam foedere.



fi, apud DIONYSIVM HALICARNASSEVM *b*) in Oratione ad proceres Samnitum: *Populus Romanus*, inquit, prius legatos ad uos mittendos censuit, nec ante a factis auspicandum, quam uerborum esset factum periculum: et expositis postulatis demum ita finiunt: τῆτων τυχόντες, ἀρκεμεθα. μὴ τυχόντες δὲ, θεὸς ἔ δάιμονας, ἔς ἐν ταῖς συνθηκαῖς ἀμύσσετε, μαρτιρόμεθα, ἔ τῶς ἐπινοδίας ἐπὶ τῆτο ἄγοντες, ἐληλύθαμεν. *h. e.* His impetratis, contenti erimus: non impetratis, Deos ac Genios, quos in foedere iurauistis, attestamus, atque in hoc Feciales nobiscum adduximus. Feroci deinde responso a Samnitibus dato, Fecialis Romanus: *Nihil amplius obstat*, ait, quin *populus Romanus*, dum uos pacis foedus tam aperte sustulistis, de armis capiendis consulat. Nam omnia praestitit, quae tum sacrae patriaeque leges, tum Deorum religio, tum iura humana postulant. Vtri autem pactis steterint, Dii, qui bellorum inspectionem sortiti sunt, diiudicabant. (Δικαστῶν δὲ τῶν μενόντων ἐν ταῖς ὁμολογίαις, οἱ λαχόντες πολέμους ἐπισκοπεῖν, ἔσονται θεοί.) Refert porro DIONYSIVS, Fecialem, cum abiturus esset, detracto capitis amiculo, et sublatis in coelum manibus, haec a Diis imprecatur: *Vt, si populus Romanus a Samnitibus iniuria affectus, quia uerbis et iudicio dissidium dirimere non poterit, ad manus ueniat, Dii Geniique et bona consilia menti eius indant, et felices omnibus successus aduersus hostes largiantur. Si uero ipse, foedere amicitiae aliqua in parte uiolato, non ueras inimicitiarum causas praetexat, ne uel consilia eius uel actiones fortunent.* Addit LIVIVS, *c*) Romanum Legatum ad disceptandum eos ad communes socios atque amicos uocasse, quod aspernatos Samnites: *Quid perplexo agimus? dixisse, nostra certamina, Romani, non uerba legatorum, nec hominum quisquam disceptator, sed campus Campanus, in quo concurrendum est, et arma et communis Mars belli decernet.* Proinde inter

Ca.

*b*) In Excerptis Legation. p. 739. | *c*) Lib. VIII, c. 23.



Capuam Sueffulanque castra castris conferamus: et, Sannis Romanusne imperio Italianam regat, decernamus. Legatos Romanorum: Se non quo hostis uocasset, sed quo imperatores sui duxissent, ituros esse, respondisse. Denique Feciales ad res repetendas missos, simul amicitiam et societatem, quae intercesserat, solenniter renuntiasse nouimus ex eo, quod LIVIVS d) Cn. Seruilium Caepionem, Ap. Claudium Centonem, T. Annium Tufcum Legatos ad res repetendas in Macedoniam, renuntiandamque amicitiam regis, Persei, missos refert.

## §. XII.

Ritum indictionis, quae, ut diximus, ex Scto fiebat, describit LIVIVS: a) Fecialem hastam ferratam, aut sanguineam praeustam ad fines eorum, unde res repetitae fuerant, tulisse, et, non minus tribus puberibus praesentibus, solenne carmen recitasse, eoque dicto, hastam in fines eorum emisisse. Idem perhibet A. GELLIVS, b) dum ex CINCIJ Libro III, de re militari uerba refert, quibus Fecialis Populi Romani, bellum indicens hostibus telumque in agrum eorum iaciens, uteretur. Atque illam hastae in fines hostiles emissionem ipsum pugnae initium notasse, cum ex illo VIRGILII c) apparet, quod de Turno dicit:

*En ait, et iaculum intorquens emittit in auras,*

*Principium pugnae,*

tum SERVIVS ad hunc locum diferte notauit: *Post clarigationem, scribens, hasta in eorum fines missa, indicabatur iam pugnae principium. Post tertium autem et tricesimum diem, quam res repetissent ab hostibus, Feciales hastam mittebant. Hunc ritum uero sicut Romani ab Aequicolis acceperunt, ita eum ad hos a Graecis per-*

I

ue-

d) Lib. XLII. c. 25. Add. Lib. XXXVI.

c 3.

a) Lib. I. c. 32.

b) Noct. Attic. Lib. XVI. c. 4.

c) Lib. IX. Aeneid. v. 53. Add.

SERVIVS ad Lib. X. Aen. v. 14. Re-

cte uero Cl. BARBEYRACCIVS animaduertit, GROTIUM de I. B. et P. Lib. III. c. 3. §. 8. errasse, dum hastam bis a Feciali missam putauit male intellecto SERVII loco.



uenisse, praeter origines Feccialium *Cap. I.* expofitas, ostendit quoque uetus prouerbium: τὸ δόρυ καὶ τὸ κηρύκειον ἕμεναι, *haftam et caduceum mittere, d)* figna duo belli et pacis, *e)* ut ex his, utrum uellet, alter eligeret. Et Alexandrum in Perfidem profecturum, a nani in littus haftam iaculatum esse, memorat DIODORVS SICVLVS. *f)* FESTVS *g)* quoque, *Carthaginenses, cum bellum uellent, Romam haftam miffisse,* fcribit. Et Grumbatem, Perfarum ducem, cum Amidam obfideret, *haftam infectam fanguine, ritu patrio Romanoque more conieciffe* refert AMM. MARCELLINVS. *h)* Ex quo loco fimul confirmatur, haftam, quam Fecciales in fines hostium iaciebant, ideo fuisse *fanguineam* appellatam, quia, siue *ferrata*, siue *praeusta* effet, ut LIVIVS eam describit, fanguine tineta effet, ad terrorem cruento colore hostibus incutiendum, et fignificationem eo confpectus faciendam, Romanos ferro ignique ius suum perfcuturos. *i)* Neque

*d)* Vid. DES. ERASMVVS in *Chilias. III. Cent. 1. POLYBIVS Histor. Lib. IV.* memorat, Rhodios legatum ad Byzantios miffisse Aridicen, et cum eo Polemoclen cum tribus tiremibus, uolentes id, quod est in prouerbio, *haftam fimul et caduceum Byzantiis mittere.* Quare IAC. GRONOVIVS acute conicit, illud, quod GELLIUS *N. A. Lib. X. c. 27.* narrat de epiftola a Q. Fabio ad Carthaginenses data, ubi fcriptum fuerit, *populum Romanum miffisse ad eos haftam et caduceum, figna duo belli aut pacis, ex quibus utrum uellent eligerent, quod elegerent, id unum ut esse miffum existimarent;* translatum esse ex auctore aliquo Graeco. Aliter enim rem exponunt LIVIVS *Lib. XXI. c. 18.* et

FLORVS *Lib. II. c. 6.*

*e)* Male iterum GROTIVS caduceum retulit inter figna belli. Vid. CL. BARBEYRACCVS *L. c.* ubi, ufum caducei apud Graecos, non nisi indicto iam bello, adhibuit, ex duobus THVCYDIDIS locis ostendit.

*f)* *Lib. XVII. c. 7.* Ceterum, Athenienses bellum indicturos agnum immiffisse, ex DIOGENIANO et HERYSCHIO notat PFEIFFER, *Antiqu. Graec. Lib. III. c. 24.*

*g)* *V. Hafta.*

*h)* *Lib. XIX. c. 2.*

*i)* Conf. TVRNEBVVS *Aduers. Lib. VIII. c. 23.* et *Lib. XI. c. 17.* BARTH. *Aduers. Lib. XI. c. 4.*



que alias ea hasta a DIONE CASSIO *k)* diceretur τὸ δόρυ τὸ αἱματώδες, si non cruore sparsa, sed ab indicio tantum belli cruenti! LIVIO sanguinea appellata, aut, quod IO. FR. GRONOVIO uidetur, *m)* ex arbore sanguinea, a colore natio dicta, quam PLINIVS *n)* describit, facta fuisset. *o)*

## §. XIII.

Carmen solenne, quo in bello indicendo utebatur Fecialis, itidem LIVIVS exhibet: QVOD POPVLI PRISCORVM LATINORVM, HOMINESQVE PRISCI LATINI ADVERSVS POPVLVM ROMANVM QVIRITIVM FECERVNT, DELIQUERVNT, QVOD POPVLVS ROMANVS QVIRITIVM BELLVM CVM PRISCIS LATINIS IVSSIT ESSE, SENATVSQVE POPVLI ROMANI QVIRITIVM CENSVIT, CONSENSIT, CONSVIT, VT BELLVM CVM PRISCIS LATINIS FIERET: OB EAM REM EGO POPVLVSQVE ROMANVS POPVLIS PRISCORVM LATINORVM HOMINIBVSQVE PRISCIS LATINIS BELLVM INDICO FACIOQVE. Parum ab his discrepant, quae ex CINCH *de re militari Lib. III.* GELLIVS *a)* refert, indictionis verba solennia: QVOD POPVLVS

I 2

HER-

*k)* Apud XIPHILINVM, in *M. Antonino.*

*l)* Tanquam quae sanguinem faciat: ceu virgas sanguineas in *L. 9. D. de L. Pompei. de parricid.* interpretatus est ACCVRSIVS, quem refellit FERAND. ADDVENSIS *Explicat. Lib. I. p. 554. in Thes. Iur. Rom. Tom. II.*

*m)* In *not. ad GROT. Lib. III. c. 3. §. 8.*

*n)* *Lib. XVI. c. 38. XIX. c. 10. et XXIV. c. 10. Conf. TVRNEBVVS Aduers. Lib. VIII. c. 23.* quem plagii reum facit HOTMANVS *de Verb. Aur.* in *v. Sanguineae.*

*o)* Enimvero citata PLINII loca maxime dubiam reddunt GRONOVII coniecturam: quippe ex fruticibus sanguineis et virgis sanguineis quales a PLINIO describuntur, haec illa terribilis uix potuit confici, quam modo ferratam, modo praestitam fuisse ex LIVIO nouimus. Nec uero cum isto frutice sanguineo eadem uidetur esse arbor *Alaternus*, siue *Alternus sanguis*, ut MACROBIVS *Lib. III. Saturn. c. 20.* eam appellat, inter infelices arbores relata, Vid. PLIN. *Lib. XVI. c. 26.*

*a)* *Noct. Attic. Lib. XVI. c. 4.*



HERMVNDVLVS HOMINESQVE POPVLI *b)* HERMVNDVLI ADVERSVS POPVLM ROMANVM BELLVM FECE-  
RE DELIQUERVNTQVE, QVODOQVE POPVLVS ROMA-  
NVS CVM POPVLO HERMVNDVLO HOMINIBVSQVE  
HERMVNDVLIS BELLVM IVSSIT, OB EAM REM EGO  
POPVLVSQVE ROMANVS POPVLO HERMVNDVLO HO-  
MINIBVSQVE HERMVNDVLIS BELLVM INDICO FA-  
CIOQVE.

## §. XIV.

Cum itaque secundum ius feciale in hostium finibus per-  
agenda esset belli solennis indictio et hastae missio: non erat  
necessarium, ut ipsi regi, aut proceribus infesti populi nuntia-  
tio fieret. Hinc enim consulti Feciales ab Consule Sulpitio, *bel-  
lum, quod indiceretur Regi Philippo, utrum ipsi utique nuntiarı iube-  
rent, an satis esset in finibus regni, quod proximum praesidium esset, eo  
nuntiarı:* Feciales decreuerunt, *utrum eorum fecisset, recte factu-  
rum.* *a)* Ac plane in eundem modum Consuli M. Acilio ad col-  
legium Fecialium de bello Antiocho indicendo referenti respon-  
derunt: *Nihil referre, ipsi coram, an ad praesidium nuntiaretur.* *b)*  
Iam ante uero, ut SERVIVS *c)* auctor est, *cum Pyrrhi tempori-  
bus aduersus transmarinum hostem bellum Romani gesturi essent, nec  
inuenirent locum, ubi hanc solemnıtatem per Feciales indicendi belli  
celebrarent, dederunt operam, ut unus de Pyrrhi militibus caperetur;  
quem fecerunt in Circo Flaminio locum emere, ut quasi in hostili loco  
ius belli indicendi implerent.* Tandem, auctis immensum imperii  
Roma-

*b)* Fuisse hoc populi aliquando suspen-  
detum Patri suo usum, indicat IAC.  
GRONOVIVS *ad h. l.* idemque de-  
legendum merito censet Cl. IENSIUS  
*de Fecialib. c. 6.* quoniam ita posi-  
tum antiquitatem non sapit, et bis  
deinceps sequitur *hominibusque Her-*

*mundulis, non hominibusque populi  
Hermunduli, plane ut apud LIVIVM  
est: hominesque prisci Latini.*

*a)* LIVIVS *Lib. XXXI. c. 8.*

*b)* IDEM *Lib. XXXVI. c. 3.*

*c)* *Ad Lib. IX. Aen. v. 53.*



Romani finibus, ut ad hostium regiones proficisci iam difficile et molestum nimis esset, non nisi simulatio quaedam solennis indictionis in eo ipso loco est seruata. Denique eo in loco, inquit SERVIVS, ante aedem Bellonae consecrata est columna. Ex hac itaque Consul aut Praetor bellum indicturus hastam mittebat uersus eam partem, ubi gens uel rex hostis populi Romani habitabat. Ita FESTVS: d) Bellona dicebatur Dea bellorum, ante cuius templum erat columella, quae bellica dicebatur, supra quam hastam iaciebant, cum bellum indicebant. Vouit hanc aedem in bello Thusco Appius, e) eandemque postea ad Circum consecrauit, f) in cuius uestibulo seu area columella fuit posita. Singula haec complexus est OUIDIVS: g)

*Hac sacrata die Thusco Bellona duello*

*Dicitur: et Latio prospera semper adest.*

*Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata*

*Multum animo uidit, lumine captus erat.*

*Prospicit a tergo h) summum breuis area Circum,*

*Est ibi non paruae parua columna notae.*

*Hinc solet hasta manu belli praenuntia mitti,*

*In regem et gentes cum placet arma capi.*

Et quidem ante aedem Bellonae aream, in qua erat columella,

I 3

fuisse,

d) V. Bellona.

e) LIVIVS Lib. X. c. 19.

f) Inscriptio antiquissimi marmoris apud GRVTERVM p. CCCLXXXIX. 4.

APPIVS. CLAVDIVS

C. F. CAECVS

CENSOR, COS. BIS. DICT. IN-

TERREX, II PR. II. AED. CVR. II.

Q. TR. MIL. III. COMPLVRA. OP-

PIDA. DE. SAMNITIBVS. CEPIT

SABINORVM. ET. TVSCORVM.

EXERCITVM. FVDIT. PACEM. FI-

ERI. CVM PYRRHO. REGE. PRO-

HIBVIT. IN. CENSURA. VIAM AP-

PIAM. STRAVIT. ET. AQVAM. IN  
VRBEM. ADDVXIT. AEDEM.  
BELLONAE. FECIT

g) Fistor. Lib. VI. v. 201. f.

h) A tergo quod dicit poeta, de tergo Circi, non de tergo aedis Bellonae, sic, ut areola illa retro, siue a tergo conuexae extremitatis Circi fuerit, intelligendum esse, monet NARDIN. Rom. Vet. Lib. VI. c. 1. et quidem eum, qui hastam mitteret, columnae potius institisse, quia humilis erat, quam innixum esse, putat.



fuisse, cum ex FESTO, tum ex P. VICTORE *i*) constat, qui eam in IX. regione Urbis statuit: *Aedes Bellonae versus portam Carmentalem: ante hanc aedem columna index belli inferendi.* Nec displicent ROB. VALTVRII *k*) et CASP. BARTHII *l*) coniecturae, dum in aede Bellonae hastam, quae ex columella iaceretur, asseruatam fuisse, et hinc *Deam hastatam* dictam eiusque imaginibus hastam additam putant. Ceterum illum hastam belli indicem uibrandi ritum, adhuc a M. Antonino, cum aduersus Scythas proficisceretur, adhibitum ita ex DIONE refert XIPHILINVS: *m*) ταῦτά τε ἑπὶ αὐτῶν, καὶ τὸ δόρυ τὸ ἀμαρτῶδες παρὰ τῷ Ἐνεύειᾳ εἰς τὸ πολέμιον δὴ χροῖον, ἃς γε καὶ τῶν συγγενέων αὐτῶ ἤκιστα, ἀκοντίσας, ἐξωρμήθη. h. e. *Cum haec dixisset, hastam sanguinolentam, apud aedem Bellonae n) versus agrum hostium, ut accepi ex iis, qui aderant praesentes, contorsit; deinde contra hostes proficiscitur.* *o*)

## §. XV.

Ad ius feciale bellicum porro induciae pertinent, per quas, manente belli statu, offensio tantum et pugna ad tempus aliquod cessat. *a*) Quare CICERO *b*) *Feciales induciarum indices* statuit: quoniam siue ab Imperatoribus datae essent, siue apud Senatum ab hostibus petitae, de iustitia pariter atque utilitate induciarum decernerent, tempus illis praefinirent, nihilque contra earum fidem fieri paterentur. Eleganter PAV-

LVS

*i*) De Regionib. Urb. Rom. Conf. DONAT. de Urb. Rom. Lib. I. c. II. STEWECH. in Veget. Lib. I. c. 6.

*k*) De Milit. Rom. Lib. II. c. II.

*l*) Ad STATII Thebaid. Lib. II. v. 721. et Lib. V. v. 6.

*m*) In M. Antonino.

*n*) Male XYLANDER uertit: quae in templo Martis reposita erat.

*o*) Hinc aereum Claudii nummum, in quo Bellonae effigies, dextra

manu telum vibrantis, sinistra clypeum gerentis cernitur, bellicam quandam huius Imperatoris expeditionem indicare, recte indicat LAVR. BEGERVS in Contin. Thesi. Brandenb. p. 621. n. 2.

*a*) Vid. GROTIUS de I. B. et P. Lib. III. c. 21. §. 1. IO. STRAVCHIVS dissert. de Indutiis, Lipsiae a. 1648. habita, Cap. 1.

*b*) De Legib. Lib. II. c. 9.



LVS Ictus naturam et effectum induciarum describit: *Induciae sunt, cum in breue et in praesens tempus conuenit, ne inuicem se lacefiant.* c) Neque erat, cur GROTIUS hanc definitionem improbaret, quippe ab eo, quod ut plurimum fit, petitam, ceu monuit Vir praeclarissimus EV. OTTO. d) Imo PAVLVS in ea definitione tantum inducias castrenses et bellicas, quae sunt breuiores, non pacificas et longiores spectauit. Illae sunt, quas VARRO in *libro humanorum*, qui erat *de bello et pace*, dixit *pacem castrensem paucorum dierum*, e) et alio loco *belli ferias*: sed ex eo die etiam in aliquot horas, ut, cum C. Pontius Sannis a Dictatore Romano sex horarum inducias postulasset, datas, animaduertit GELLIVS. f) Illarum pactum, ut idem definit, *huiusmodi est, ut in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur, sed ex eo die postea, uti iam, omnia belli iure agantur*: unde et nomen induciarum, quasi dicas *inde uti iam*, dictum existimat. g) Illas contrahebant duces exercitus, ut induciae triginta dierum Her.

c) L. 19. §. 1. D. de captiu. et postlim. Quare Graeci cessationem istam pugnae pacitiam ἐπέχειαν, *cobhibitionem manuum*, dixerunt, Vid. COLEBER. Parerg. c. 21.

d) in nota ad PVEENDORF, de Off. hom. et ciu. Lib. II. c. 16. §. 15.

e) Sicut VIRGILIUS *pacem sequeretur*, Aeneid. Lib. XI. v. 133.

Bis senos pepigere dies et pace sequestra

Per sylvas Teucri mislique impune Latini

Errauere iugis:

SERVIUS h. l. *pacem temporalem* dixit.

f) Noct. Attic. Lib. I. c. 25.

ubi istas VARRONIS definitiones *lepidae magis atque iucundae, breuitatis, quam plenae, aut probas uideri, bene pronuntiat,*

g) AVREL. OPILIUS Grammaticus, *indutias, quasi initias, hoc est initus atque introitus*, (siue, ut antiquitus scriptum uidetur, *endoitias, endoitus*) cum hostes inter sese utringue utroque alter ad alterum impune et sine pugna incunt, *dictas* putauit, referente ibidem GELLIO. DONATVS ad TERENCE. Eunuch. A. 1. Sc. 1. v. 15, quod *in dies otium praebent*. ISIDORVS Lib. XVII. Orig. c. 1. *Foederis partes induciae*, scribit, et *dictae quasi in dies otia*. CHRIST. COLERVS Parerg. l. c. ab *Endo* uel *indu* et *otium*, quae etiam VOSSIO placet etymologia, ALD. MANVTIUS ab *inducendo*, GROTIUS, olim *Indoitia*, quod *inde*, siue a certo tempore fit *otium*, dicta censet.



Hernicis a Q. Marcio Tremulo, et decem dierum Liguribus a L. Aem. Paulo datas, LIVIVS *b*) commemorat. Hae uero paci, quae saepius etiam in certos annos initer, propiores, atque a Romanis concedi solitae sunt, quando pacem cum lubricae fidei hostibus et inquietis inire minus tutum uidebatur. Hae itaque a Senatu Romano hostibus impetrandae fuerunt. Et sic in annum Etruscis, in annos duos Samnitibus, in annos XX. Volsinienfibus, in XXX. Perusiae, Cortonae et Aretio, in annos XL. Veientibus, itemque Tarquinienfibus, in C. annos Veientibus et Caeritibus *i*) datae. Feciales itaque fuerunt induciarum iudices, ne per earum tempus aliquid contra ius gentium fieret, siue in personas, siue in res, omni hostilitate suspensa. *k*) Vnde SERVIVS ad illud MARONIS:

*Per sylvas Teucri, mixtisque impune Latini,*

narrat, obsessa urbe ab Tarquinio, inter Porfennam et Romanos factis induciis, cum ludi Circenses in urbe celebrarentur, ingressos hostium duces curuli certamine contendisse et uictores coronatos. Et induciarum tempore postliminium non esse, docet PAVLVS *l*): quia scilicet, interprete GROTIUS, postliminium requirit, ut antecedit ius bello capiendi, quod per inducias non est. Denique, postquam diuturniores induciae exierant, ex Fecialium sententia res repetebantur iterum, et bellum indicebatur, quia, ut diximus, tales induciae cum pace propius conueniebant. Ita cum Veientibus actum esse, quanquam nondum finitis induciis rebellauerant, LIVIVS *m*) auctor est: ut testatum fieret, quantopere pacem amaret populus Romanus, et quam iustus de causis in arma traheretur. *n*)

*b*) Lib. IX. c. 43. et Lib. XL. c. 25.

*i*) LIVIVS Lib. IX. c. 41. cod. lib. c. 20. Lib. V. c. 32. Lib. IX. c. 37. Lib. II. c. 45. et IX. c. 41. Lib. I. c. 15. et VII. c. 20.

*k*) Et quidem uiolatore induciarum hostibus, ruptas eas querentibus, deditis esse per Feciales, comprobatur ex-

emplum Brutuli Papii, cuius etiam exanime corpus et bona Romanis dediderunt Samnites LIVIVS Lib. VIII. c. 39.

*l*) L. 19. §. 1. D. de captiu. et postlim.

*m*) Lib. IV. c. 30. et c. 58.

*n*) GROTIUS *l*. c. §. 3.



## CAPVT V.

DE

IVRE FECIALI FOEDERVM  
EIVSQVE RITIBVS AC FORMVLIS.

## §. I.

**A**ltera pars iuris feccialis dicata erat Paci, in qua usque adeo eminebat officium Feccialium, ut PLVTARCHVS a) eos plane Ἐρηνοποιουὶς dixerit. Etenim, *et pacem conficere, et dare operam, ut legitime facta religioſe ſeruaretur, illorum munia fuiſſe*, DIONYSIVS b) perhibet. Atque hoc pacis conciliandae officium inter ipſos Patres ac plebem, poſt ſecefſionem in montem ſacrum, eos interpoſuiſſe, idem auctor eſt. c) Reſcindendae uero pacis ius et arbitrium exercebant, ubi pax ignominioſa et iniqua ſponſione inita eſſet, aut potius promiſſa, eiusque ſponſoribus deditis hoſti faciebant ſatis, populumque Romanum expiabant.

## §. II.

Foederum autem cura et religio ita quidem erat penes  
K Fecciales,

a) *Quaeſt. Roman. LXL. PHILO de Legat. ad Caium, p. 1006.*  
πόλεμοι γὰρ ἀνοχὰς καὶ διαλύσεις λαμβάνουσι διὰ κηρύξαν εἰρήνην κατὰ τὰς ἀτελευτήτους ἀπεργάζονται, καὶ

τοῖς ἐπιφέρουσι, καὶ τοῖς ἀμυνόμενοις. Nam bella Fecciales dirimunt, afferendo pacem aut inducias. Qui niſi admittantur, nec modus, nec ſinis erit calamitatibus et ultro citroque illatis iniuriis.

b) *Lib. II. p. 131. Conf. ſupra Cap. I. §. XI. not. (c)*

c) *Lib. VI. p. 410.*



Feciales, ut conditiones eorum cum hostibus ritu solenni contraherent ac iureiurando confirmarent, neque sine Fecialibus, ut Consules cum Samnitibus agentes apud LIVIVM a) profiterentur, foedus fieri posset. Sicut igitur foedera primum condere, ita quoque ea uel ob temporis diuturnitatem, ne oblitterarentur, uel ob offensas, quae interuenissent, uel ob mortem eorum, quibuscum facta fuissent, solucentur, iterum renouare Fecialum erant partes, id quod exemplis foederis cum Latinis instaurati apud DIONYSIVM, b) et cum Perseo Macedonum Rege, post mortem patris Philippi, apud LIVIVM, c) constat. Non minori autem cura, fidei foederum, *id est Populi Romani religioni ac fidei*, ut CICERO d) ait, seruandae, tuendae, uindicandae praerant: dum cauebant, ne foederatae ciuitati iniustum bellum inferrent Romani: si quid contra foederis leges ac iurisiurandi religionem fecissent imperatores, illi cognoscebant, ac nefas admissum expiabant: eos, qui a Romanis illatam sibi contra foedus quererentur iniuriam, audiebant, et, si iure queri conperiebantur, fontes comprehensos laesis dederant: ac denique, ut supra uidimus, si foederis leges ab aliqua ciuitate minus implebantur, eam adibant, et amico colloquio satisfactionem postulabant, quae si negaretur, discedentes, bello rem quaerendam fore annuntiabant. Et haec ipsa, quae DIONYSII auctoritate singula retulimus, et ob quae TVLLIUS e) *Foederum et pacis Oratores* Feciales et *Judices* statuit, satis refellunt opinionem, quam tenet IAC. GRONQVIVS, f) rem bellicam Fecialibus, foederum uero curam Patri patrato adscribens, quasi huius atque illorum diuersa fuerint munia, id quod assertum putat iis SERVII g) locis, qui aperte

a) *Lib. IX. c. 5.*b) *Lib. VI. p. 353.*c) *Lib. XLII. c. 30.*d) *Orat. pro Balbo c. 4.*e) *De Legib. Lib. II. c. 9.*f) *In not. ad LIV. Lib. I. c. 32.*g) *Ad Lib. XII. Aeneid. v. 120.**Feciales*



aperte contrarium loquuntur. Imo uero Illustris SPANHEMIVS *b)* claris PLVTARCHI, LIVII, VARRONIS, *i)* FESTI *k)* testimoniis errorem magni Critici plenissime conuicit.

## §. III.

Enimvero, cum tria essent foederum genera, ut ea legatus Antiochi Menippus apud LIVIUM *a)* enumerat: unum, cum bello uictis dicebantur leges: alterum, cum pares bello aequo foedere in pacem atque amicitiam ueniebant: tertium, cum, qui hostes nunquam fuerant, ad amicitiam sociali foedere inter se iungendam coibant: singulorum conditiones non poterant non esse admodum diuersae. Et in primo quidem genere, ut idem legatus explicat, ubi omnia ei, qui armis plus poterat, dedita erant, quae ex iis habere uictos, quibus multari eos uellet, ipsius ius atque arbitrium erat. In altero genere repetebantur reddebanturque per conventionem res, et si quarum turbata possessio erat, eae aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componebantur. In tertio genere neque dici solebant, neque accipi leges: id enim uictoris et uicti erat. Accurate uero GROTIUS *b)* monet, foedera inaequalia contrahi non tantum inter uictores et uictos, ut Menippus

K 2

nippus

*Feciales et Pater patratus, per quos bella uel foedera confirmabantur. Et ibidem: Verbera coronabantur Feciales et Pater patratus, foedera facturi, uel bella indicturi. Vbi praesertim ordinis commutatio Patris patrati et Fecialium promiscua munia indicat. Vid. BARBEYRAC, ad GROTIUM Lib. III. c. 3. §. 7. n. 2. IENSIUS de Fecialib. c. 6. Quid uero clarius his SERVILIUS ad Aeneid. Lib. X v. 14. Cum Fecialibus, id est Sacerdotibus, qui faciendis praesunt foederibus, praefiscebatur etiam Pater patratus?*

*b)* De Usu et praesent. numism. Tom. II, Diff. X. p. 201.

*i)* De Ling. Lat. Lib. IV. c. 15. Feciales, dicti, quod fides publicae inter gentes praerant: nam per hos ferebat, ut iustum conciperetur bellum, et ut foedere fides pacis constitueretur. Et per hos etiam nunc fit foedus.

*k)* V. Feciales. Vbi: Feciales, scribit, a faciendo dictis. Apud hos enim belli pacisque faciendae ius est.

*a)* Lib. XXXIV. c. 56.

*b)* De I. B. et P. Lib. II. c. 156 §. 7. n. 4.



nippus ille censuit, sed et inter potentiores et impotentiores, etiam qui inter se bello experti non essent, idque laudatus modo Vir summus EZ. SPANHEMIVS c) praeclare confirmatum dedit exemplis foederum, quae Romani cum exteris Regibus uel nationibus inuerunt, in quibus non minus, quam in illo antiquissimo cum Latinis foedere, superior Romana res erat, d) et quibus Populi Romani maiestatem comiter conseruare tenebantur, quam formulam TVLLIVS e) et PROCVLVS ICTus f) illustrarunt. At quoniam haec a Viris laude mea maioribus g) tractata, magis ad reliquum ius publicum Populi Romani, quam ad ius feziale pertinent, iamque opella sub manibus creuit: licebit mihi tantum de modo foedera, quae siue pacis faciendae, siue societatis et amicitiae causa fiebant, ex iure feziali et solenni cerimonia pangendi feriendique differere. Nam, ut LIVIVS b) ait: *Foedera alia aliis legibus, ceterum eodem modo omnia fiebant.*

## §. IV.

Nimirum cum publicas, quibus aut bellum finiatur, aut societas et amicitia cum exteris gentibus contrahatur, pactiones inire sit summae in republica potestatis: a) et Romae lex fundamentalis, cum ipsa Vrbe nata, populi suffragiis belli inferendi componendique arbitrium addidisset, b) idque demum ratum foret, quod populus iussisset, si Patres auctores fierent: c) satis hinc constat

e) In Orbe Rom. Exercit. II. c. 10.

d) LIVIVS Lib. I. c. 52.

e) Pro Balbo c. 16.

f) L. 7. D. de Captiu. Vid. CV-

IACIVS Obseruat. Lib. XXVII. c. 33.

GROTIUS de I. B. et P. Lib. I. c. 3.

§. 21. n. 2. SPANHEM. l. c.

g) Varias foederum conditiones et formulas insigni apparatu exhibent

BRISSONIVS de Form. Lib. IV.

p. 335. SIGONIVS de ant. iur. Ital.

Lib. I. et Lib. II. c. 14.

b) Lib. I. c. 24.

a) Vid. GROTIUS de I. B. et P.

Lib. I. c. 3. §. 6. et Lib. III. c. 20. §. 2.

b) DIONYS. HALICARN. Lib. VI.

p. 392.

c) LIVIVS Lib. I. c. 17.



constat, foedus auctoritate Senatus ac populi tantum fieri potuisse. Itaque Consules Sp. Postumius et T. Veturius ad Pontium Samnitium ducem in colloquium profecti, cum is de foedere agigaret, apud LIVIVM, *d)* negant, iniussu populi foedus fieri posse. Et apud eundem *e)* princeps ex Carthaginiensibus in Senatu respondens legatis Romanis: Vos, quod C. Lucretius Consul primo nobiscum foedus icit, quia neque auctoritate Patrum, nec populi iussu ictum erat, negastis uos eo teneri: itaque aliud de integro foedus publico consilio ictum est. Subiicit ibidem LIVIVS, in Lucretii foedere diserte additum fuisse: *ITA ID RATVM FORE, SI POPVLVS CENSVISSET.* Quoties igitur imperator Romanus hostibus petentibus pacem dederat, opus erat, ut Romam legati irent, quo pax a Senatu confirmaretur, et ubi Senatus eam probasset, iuberetur populi suffragiis. Ita de legatis Antiochi refert LIVIVS: *f)* *li obtestati sunt Patres Conscriptos, ut pacem datam a L. Scipione imperatore, quibus legibus dedisset, confirmarent auctoritate sua. Et Senatus eam pacem seruandam censuit, et paucos post dies populus iussit.* Postquam uero ad populum uel ad plebem rogatio in comitiis lata: *VELLENT IVBERENTNE PACEM ESSE, g)* eaque a populo aut plebe iussa erat, iterum accedebat auctoritas Patrum, qua demum de solemnitate et conditionibus pacis faciendae Scto facto stantuebant. Singula haec plenius confirmat LIVIVS: *b)* *M. Atilius et Q. Minutius Tribuni plebis ad populum iulerunt: VELLENT IVBERENTNE SENATVM DECERNERE, VT CVM CARTHAGINIENSIBVS PAX FIERET, ET QVEM EAM PACEM DARE, QVEMQVE EX AFRICA EXERCITVS DEPORTARE IVBERENT.* De pace, uti rogatae omnes tribus erant, iusserunt: *DARE P. SCIPIONEM, EVNDEM EXERCITVS*  
 K 3 *DEPOR-*

*d)* Lib. IX. c. 5.*e)* Lib. XXI. c. 18.*f)* Lib. XXXVII. c. 58.*g)* LIVIVS Lib. XXXIII. c. 10.*b)* Lib. XXX c. 43.



LXXVIII CAP. V. DE IVRE FECIALI FOEDERVM

DEPORTARE. *Ex hac rogatione Senatus decreuit: VT P. SCIPIO EX DECEM LEGATORVM SENTENTIA PACEM CVM POPVLO CARTHAGINIENSI, QVIBVS LEGIBVS EI VIDERETVR, FACERET.* Quamobrem de foedere Gaditano TVLLIVS <sup>i)</sup> cum dixisset: *nihil omnino inquam de isto foedere ad populum, nihil ad plebem latum esse: breuiter deinde omnem huius foederis statum recenset: Duris quondam temporibus reipublicae nostrae, cum praepotens terra marique Carthago, iuxta duabus Hispaniis, huic imperio immineret, et cum duo lumina nostri imperii subito in Hispania Cn. et P. Scipiones extincti occidissent, L. Marcus primipili centurio, cum Gaditanis foedus icisse dicitur. Quod cum magis fide illius populi, iustitia uestra, uetustate denique ipsa, quam aliquo publico uinculo religionis teneretur: sapientes homines et publici iuris periti, Gaditani, M. Lepido, Q. Catulo Coss. a Senatu de foedere postulauerunt. Tum est cum Gaditanis foedus uel renouatum, uel ictum: de quo foedere populus Romanus sententiam non tulit: qui, iniussu suo, nullo pacto potest religione obligari. Et denique hoc foedus, quod suffragiis non comprobauerit, populum Rom. auctore Senatu, commendatione et iudicio uetustatis, uoluntate et sententiis suis comprobare, saltem profiteretur.*

§. V.

Sed iam porro ad perficiendum foedus, praeter iustum populi ac Sctum, ex iure feciali necessarium erat, ut mitterentur Feciales cum sagminibus, *cerimoniam solemnem facturi, sine qua foedus fieri posse, Consules cum Samnite Pontio agentes pariter negabant. Et quidem ad foedus ferendum duo Feciales requirebantur, teste LIVIO, a)* qui, cum pacem Caudinam non foedus, sed sponsonem fuisse, ostendit: *Vbi si ex foedere acta res esset, ait, praeterquam duorum Fecialium nomina non extarent.*

<sup>i)</sup> Pro Balbo c. 15.

<sup>a)</sup> Lib. V. c. 5.



*extarent.* Hinc in foedere sub Tullo Rege cum Albanis icto, hos duos tantum, M. Valerium Fecialem & Patrem patratum Sp. Fufium, interfuisse animaduertimus. Imo uero Fecialem alterum, qui cum Patre patrato ad foedus faciendum ibat, non alium fuisse, quam uerbenarium, qui Patrem patratum Sp. Fufium uerbena caput capillosque tangens, fecisse a LIVIO memoratur, iam supra *Cap. II.* coniecimus. Sunt tamen saepe Fecialibus etiam ad foedera facienda missis, & consilii conferendi & splendoris augendi causa, plures e Collegio additi, ut decem legatorum ex more ueteri mittendorum numerum exaequant. *b)* Ita ad pacem cum Carthaginienfibus faciendam decem legati, ex quorum sententia pax fieret, apud LIVIUM *c)* Feciales diserte appellantur. Ac similiter decem legatos, ad pacem faciendam & foedus ferendum cum Antiocho, in Asiam missos, Feciales fuisse, apparet ex eo, quod in sua aduersus Cn. Manlium actione non modo iura et religionem Fecialium tuentur, sed etiam, *Legatos sese Cn. Manlio datos pacis cum Antiocho faciendae causa, foederisque et legum, quae cum L. Scipione inchoatae fuissent, perficiendorum, statim initio orationis prae se ferunt, d)*

## §. VI.

Neque tamen proinde, illos decem legatos, qui more maiorum bellis confectis a Senatu mittebantur, ut condiciones pacis constituerent atque gentium deuictarum res de sententia sua ordinarerent, quorum CICERO *a)* mentionem facit & exempla passim extant,

*b)* De legatis decem, more maiorum mitti solitis, vid. BRISSON. *de Form. Lib. II. p. 237.* quem morem a Graecis ad Romanos trantuisse, docet SIGONIUS *de Rep. Athen.*

*Lib. IV. c. 6.*

*c)* LIVIUS *Lib. XXX. c. 43.*

*d)* IDEM *Lib. XXXVIII. c. 45.*

Conf. supra *Cap. II. §. II.*

*a)* *Philipp. XII. c. 32.*



tant. Feciales fuisse, cum Cl. IENSIO *b)* existimandum est. Nullo enim omnino indicio constat, e Fecialium Collegio sumtos esse illos decem Viros, quos, ubi conditiones pacis cum Carthaginensibus ineundae Romam essent reiectae, missos, τὰς ἐπιστομολογμένους ὑπὲρ τῶν πραγμάτων, ad inspiciendas res, POLYBIUS *c)* refert, aut decem legatos in Macedoniam Graeciamque missos post debellatum Philippum, quos *facere, statuere, quod e Rep. fideque sua esset, iussos*, LIVIVS *d)* scribit, aut decem legatos, quorum de sententia Siculorum res a P. Rupilio constitutas, CICERO *e)* ait, aut legatos decem in Macedoniam, quinque in Illyricum missos, post deuictos captosque sententia imperatores L. Paulus, & L. Anicius res componerent. *f)* Nullo etiam idoneo ueterum testimonio quisquam adfirmet, eam, quam idem IENSIVS iis adscribit, longe amplissimam agendi statuendique facultatem Fecialibus datam fuisse, et longe amplio- rem, quam uulgo dabatur imperatoribus, maxime, postquam omnes totius Italiae populi, hinc pleraeque per reliquam Europam, Asiam minorem partemque maiores et per Africam gentes, uel armis, uel metu uictricium armorum Romanis parere cogerentur, inde Feciales mitterentur ad conditiones obsequii imponendas. Enimvero quae de sententia Fecialium imperatores fecisse dicuntur, ea ex consilio eorum, secundum summam rerum in Senatu decretam atque ipsis in mandatis ad imperatorem perferendis datam, facta sunt: *g)* ac licet decem Feciales illi, ad pacem cum Antiocho aliisque Asiae ciuitatibus sancendam missi, simul fuerint legati ad res Asiae disceptandas componendasque, non tamen hos aut ple-

nissi.

*b)* De Fecialib. c. 8.

*c)* Lib. I. p. 89.

*d)* Lib XXX. c. 31.

*e)* In Verr. II. c. 37.

*f)* LIVIVS Lib. XLV. c. 17.

*g)* LIVIVS Lib. XXXVII. c. 55. seq.



nissimum illud statuendi arbitrium habuisse, aut Feciales semper eiusmodi legationem simul obiisse, exemplo isto confirmari potest. Imo uero Feacialibus minime fuisse potestatem foedera sancienti, nisi ex auctoritate Senatus et imperio eius, qui bellum iussu Populi Romani gereret, uetus illa Feacialium praefatio et SCum eam in rem fieri solitum, de quibus nunc inter foederis ferendi ritus primo loco dicendum erit, satis declarant.

## §. VII.

Erat enim praefatio Feacialium solennitas ista uerborum, qua, priusquam ceremonias peragerent, de foedere feriendo olim Regis iussu Feciales impetrasse, sagmina poposcisse, sibique auctoritatem et sanctitatem nuntii Populi Romani Quiritium comparasse, ex LIVIO a) intelligimus. *Feialis*, ut ille scribit, *Regem Tullum ita rogauit: IVBESNE ME, REX, CVM PATRE PATRATO POPVLI ALBANI FOEDVS FERIRE? Iubente Rege: SAGMINA, inquit, TE, REX, POSCO. Rex ait: PYRAM TOLLITO. Feialis ex arce graminis herbam puram attulit. Postea Regem ita rogauit: REX, FACISNE TV ME REGIVM NVNTIVM POPVLI ROMANI QVIRITIVM? VASA, COMITESQVE MEOS? Rex respondit: QVOD SINE FRAUDE MEA POPVLIQVE ROMANI QVIRITIVM FIAT, FACIO.* Eodem modo in libera republica potestas foederis ferendi a Consule aut Praetore bellum gerente Feacialibus imperanda fuit. Atque prorsus ad morem prisca ritus Caesar Claudius, uetere Feacialium praefatione adhibita, cum regibus in foro icisse foedus memoratur a SVETONIO. b) Vbi nullam causam uideamus, quare cum SIGONIO c) legere malimus, praecatione adhibita,

L

bita,

a) Lib. I. c. 24. Vid. BRISSONIVS de Form. Lib. IV. p. 335 SAGITARIVS diff. de Foederib. c. 3. §. 17.

b) In Claud. c. 25.

c) De ant. iur. Ital. Lib. I. c. 1.



LXXXII CAP. V. DE IVRE FECIALI FOEDERVM

*bita*: quasi *praefatio*, siue rogatio illa minus apta esset foederi, iussu Principis, in quem ius foederis transferat, feriendo.

§. VIII.

Proxima inspectio est de SCTo, cuius memoriam LIVIVS <sup>a)</sup> itidem seruauit: *Feciales*, scribens, *cum in Africam ad foedus ferendum ire iuberentur, ipsis postulantis SCTum in haec uerba factum est: VT PRIVOS LAPIDES SILICES PRIVASQVE VERBENAS SECVM FERRENT: VTI PRAETOR ROMANVS HIS IMPERARET, VT FOEDVS FERIRENT, ILLI PRAETOREM SAGMINA POSCERENT.* Manifestum est ex his uerbis, quibus Feciales iubentur *foedus ferire, uti Praetor Romanus his imperaret*, plane, ut olim Regis, ita nunc Praetoris i. e. imperatoris Romani iussu opus fuisse Fecialibus. Neque hoc singulari P. Scipionis tantum honori a Senatu datum esse, quod IENSIO <sup>b)</sup> uidetur, conicere licet: cum ex FESTO <sup>c)</sup> intelligamus, ordinarium id fuisse, ut *sagmina a Consule Praetoreue darentur Fecialibus foedera facturis*: adeoque eius etiam fuit, potestatem ferendi foederis poscentibus dare. Atque hoc SCTum toties factum uidetur, quoties foederis cerimonia non in Vrbe perageretur, sed ad foedus auspiciis imperatoris ferendum Feciales in exteras regiones mitterentur. Verum, quid *priui lapides silices priuaeque uerbenae* in hoc SCTo significant, id parum liquet. *Priuos* quidem ueteres dixisse pro *singulis*, tratatum est, unde *priuata*, quae *singulorum* sunt, et *priuilegia*, quasi *leges de singulis* conceptas appellari, FESTVS <sup>d)</sup> et GELLIVS <sup>e)</sup> obseruarunt. Quod suadere posset IENSII explicatio-  
fuisse:

<sup>a)</sup> Lib. XXX. c. 43.

<sup>b)</sup> De Fecialib. c. 8.

<sup>c)</sup> V. Sagmina.

<sup>d)</sup> V. Priuos.

<sup>e)</sup> Noct. Attic. Lib. X. c. 20.



fuisse: si modo appareret, ad quem usum Feciales decem habuissent totidem lapides felices. Videtur itaque *priuum* in hac Scti formula notare aliquid *delectum, eximium et proprium*, quae significatio alias apud LIVIVM f) occurrit, ubi praemia militibus, qui cum P. Decio in praesidio fuerant, data refert, *duplici frumento in perpetuum, in praesentia singulis babus binisque PRLVIS TVNICIS donatos* scribens: quam *priui* significationem pluribus, praesertim HORATII, g) locis illustravit TORRENTIVS. b) Vt proinde *uerbenae priuae felicesque priui dicti* sint, tanquam ad foederis ferendi cerimoniam destinati ac delecti, neque male ALB. GENTILIS i) *priuum* exponat *purum*, sicut in prisca formula Feciali sagmina poscenti Rex respondet: *Pu-  
yam tollito*. Nam et sagmina, herbae purae, tantum ex arce, loco sancto, peti poterant, et lapis felix, quo foedus ferent, ut FESTVS k) docet, ex Feretrii Iouis templo fumebatur.

## §. IX.

Quomodo creatio, siue potius confirmatio Patris patrati ad sacra facienda in foedere et iusiurandum Populi Romani nomine patrandum facta, intelligenda sit, iam supra Cap. II. §. V. diximus. Ritus eum ita LIVIVS exponit: *Fecialis erat M. Valerius: is Patrem patratum Sp. Fusium fecit, uerbena caput capillosque tangens: Pater patratus ad iusiurandum patrandum, id est, sancien-  
dum, sit*. Haut displicet lectio, quam PETR. NANNIVS a) suggerit: *caput capillosque regens*, pro *tangens*. Etenim quid notius esse potest, quam coronatos sacra fecisse, b) ritumque pre-

L 2

can-

f) Lib. VII. c. 37.

g) Lib. I. epist. I. v. 93. et Lib. II. Sat. 5. v. 10.

b) Commentar. ad Lib. II. Sat. 5.

i) De Legationib. Lib. I. c. 13.

k) V. Feretrius.

a) Miscellan. Lib. V. c. 11. e codice Buslidiano, Vid. GODELAEV, Observat. ad h. l.

b) Vid. PASCHAL. de Coron. Lib. IV. c. 13.



cantium texisse caput sacerdotes? c) Et SERVIVM ad illud VIRGILII:

*Velati lino et verberna tempora cincti,*  
 notantem, *verberna coronatos fuisse Feciales et Patrem patratum foedera facturos, iam supra audivimus. d) Quia tamen LIVIVS peculiarem indicat ac proprium ritum, quo Patrem patratum ad iusiurandum faciendum faceret verbernarius: retenta vulgari lectione, expiationis causa nobis videtur id factum, ut Pater patratus, sacra foederis et iusiurandum peracturus, verberna tangeretur caput capillosque. Iuvat hanc coniecturam locus PLINII, e) qui nos ad originem huius ritus simul deducit, ubi: Ita traditur, myrtea verberna Romanos Sabinosque, cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos, scribit. Ac praeterea, quod ulum verbernarum in expiationibus DIO-SCORIDES f) et PLINIVS g) celebrant, optime hic expiationis ritus cum foederis faciendi cerimonia conuenit, quia caput est salutis symbolum, h) Pater patratus vero nomine uniuersi Populi Romani iusiurandum et verba iuraturus erat, quibus Populus Romanus salutem suam, si scitens fefellisset, Iouis irae consecraret: hinc verbernae tactus capiti i) eius potissimum adhibitus, quo illud ab omni noxia liberum ac praesertim ab omni odio et hostili dolo uacuum atque pacis piae et aeternae, ut in formulis foederum erat, sincerae cogitationi intentum animum referret.*

§. X.

d) SERVIVS ad Aencid. Lib. III. v. 405. PLVTARCH. Qu. Rom. X. Conf. BRISSON. de Form. Lib. I. p. 32. GVTHER. de vet. Iur. Pontif. Lib. IV. c. 17. LOMEIER. de Lufrat. c. 34.

e) Cap. II. § XIII.

f) Hist. Nat. Lib. XV. c. 29.

g) Lib. IV. c. 61.

g) Hist. Nat. Lib. XXV. c. 9. Haec est, quam Legatos ferre ad hostem indicauimus. Hac Iouis mensa uerritur: domus purgantur lufranturque.

h) Conf. HANSEN. de Iureiur. uet. c. 15.

i) Alias quoque lufratio capitis erat pro totius corporis expiatione. Iud. LOMEIER. de Lufrat. c. 27.



## §. X.

Temporis rationem habitam fuisse in foederibus perficiendis, ita, ut ante meridiem semper fierent, PLVTARCHVS *a)* docet: Ἡ κατάπερ ἡ μεσημέρια πέρας ἐστὶ τοῖς πολλοῖς τὰ δὴ δὴρῶσια καὶ σπουδαία πράττειν, ἕως ἀρχῆν ἔδοξε ποιῆσαι Ῥωμαίων ἀρχιστα συνθήκας μηδὲ ὁμολογίας μετὰ μέσων ἡμέρας. H. c. *Aut quia meridies plerisque finis est publicas et serias res agendi, mediam noctem placuit pro exordio diei sumi? Cuius rei magnum argumentum est, quod nullus Romanus Magistratus post meridiem foedus aut pactum icit.* Hanc uero temporis obferuationem boni ominis causa institutam, bene conicit BOX. HORNIVS: *b)* quoniam ante meridiem dies et sol altius prouehantur. Proinde percussum tunc foedus magis magisque in dies augendum et firmandum indicare uoluisse, post meridiem cum dies et sol decrescant, euitandum id tempus existimasse Romanos, ne sinistrum foederis percutiendo omen praebet. Fuftra uero est IAC. RAEVARDVS, *c)* qui et tempus et locum publicis pactionibus et foederibus faciendis in Legibus XII. Tabularum definitum fuisse autumat, notissima illa, sed uarie corrupta lege, cuius uerba apud Auctorem ad Herennium *d)* sunt: REM VBI PACVNT, ORATO: NI PACVNT, IN COMITIO, AVT IN FORO, ANTE MERIDIEM CAVSAM CONICITO. Hanc enim legem ad causae coniectionem apud Praetorem et litis priuatae contestationem omnino pertinere, iam uidit IOH. FRID. GRONOVIVS, *e)* et nuper V. C. EV. OTTO *f)* pluribus confirmauit.

L 3

§. XI.

*a)* *Quaest. Rom. LXXXIIII.*

*b)* *Quaest. Rom. XLIV.*

*c)* *Varior. Lib. IV. c. 2.*

*d)* *Lib. II. c. 13.*

*e)* *Ad PLIN Hist. Nat. Lib. XXVIII*

*c. 2.*

*f)* *In praef. ad Tom. III. Thef. Jur. Rom. edit. nou. p. 28.*



## §. XI.

Equidem foederi feriendo locum solennem fuisse in foro comitium, satis compertum habemus: cuius rei origo uideatur esse a foedere, quod inter Romulum et Tatium ibi ictum, locumque a *coerundo* comitium appellatum, tradit PLVTARCHVS. *a)* Et FESTVS, *b)* in sacra uia foedus illud ictum, notat, DIONYSIVS *c)* aras circa medium viae sacrae positas fuisse scribit, ad quas foedus iureiurando confirmatum. Via enim sacra in forum exibat, imo per forum pertendebat ad arcem. *d)* Foederis eius in comitio facti memoriam seruant quoque nummi aerei Mussidiae Gentis elegantissimi, quos CAR. PATTINVS *e)* et IO. VAILLANTIVS *f)* exhibent, in quorum antica parte caput Concordiae *g)* uelatum, in postica uero Comitium et in eo stantes Vesta et Venus Cluacina, uerbena manu clata praeferens, adscripto CLOACINAE nomine, uisuntur. *h)* Optimam lucem dabit PLINIVS, uerbis paulo ante laudatis: *Quippe ita traditur, myrtea uerbena Romanos Sabinosque, cum*  
*propter*

*a)* In Romulo, p. 30.

*b)* V. uia sacra.

*c)* Lib. II. p. III.

*d)* NARDIN. Rom. Vet. Lib. V.

*e)* 5.

*e)* In Nummis Famil. Rom. in Gente Mussidia.

*f)* In Num. Fam. p. 182.

*g)* Alios quoque huius Gentis nummos, in quorum aduersa idem caput Concordiae uelatum, in auersa dextrae iunctae cum caduceo, uisuntur, ad foederis illius memoriam pertinere, confirmatur ex his QVI-  
 DII Fast. Lib. VI, v. 91.

Venit Apollinea longas CONCORDIA Lauro

Nexa comas, placidi nomen opusque ducis.

Haec ubi narravit, Tatium sortemque Quirinum,

Binaque cum populis regna cois-  
 se suis,

Et lare communi soceros generosque receptos:

His nomen iunctis IVNIVS, inquit, habet.

*h)* Explicationem hanc debeo PRAESIDI, qui cum inter alia quaedam antiquitatis monumenta pluribus confirmatam propediem dabit.



propter raptas uirgines dimicare uoluissent, depositis armis purgatos in eo loco, qui nunc signa Veneris Cluacinae habet. Templum enim Veneris Cluacinae a Tatio constructum fuit iuxta forum, ut ex OUIDIO *i*) constat, prope Viam Sacram, ut PLAVTVS *k*) indicat, prope comitium: quae cum illis PLVTARCHI, DIONYSII et FESTI supra indicatis locis belle conspirant. Quare hoc tam insigne antiquitatis monumentum dignissimum erat, cuius typum in fronte dissertationis exhiberemus. Ab isto foedera in comitio percutiendi ritu uenit, ut S<sup>c</sup>ta de societate et amicitia, quod BRISSONIVS *l*) obseruauit, in comitio perferibentur, eiusque rei in ipsis tabulis mentio fieret. Hoc tandem ueteri more obseruato Claudius, referente TRANQVILLO, *m*) cum Regibus foedus in foro icit. In foro quod ait, hoc de celebriore parte fori, et foederibus faciendis inde a Romuli foedere destinato, intelligendum esse, nemo iam dubitabit.

## §. XII.

Et quidem in pulcherrimo isto Mussidiae Gentis nummo cernimus Vestam et Cluacinam, aris utrinque positis dextram admoventes. Foedera enim fiebant ad aras, communi gentium usu, prout PETR. BERTHALDVS, *a*) et, qui mores gentium circa foedera singulari dissertatione collegit, GE. SCHVBARTVS, pluribus docuerunt. Aras itaque, in usum sacrificii et iurisiurandi ad eas patrandi, in religione foederum exstruebant etiam Romani. *b*) Hinc VIRGILIVS *c*) de foedere illo inter Tatium et Romulum:

Post

*i*) Trist. Lib. II. El. 12. v. 8.

*k*) Curcul. Act. IV. Sc. 1. v. 9.

*l*) De Form. Lib. II. p. 220.

*m*) In Claud. c. 25.

*a*) De Ara c. 13.

*b*) Vt foedera iungentes ad aras iurarent, uetustissimum morem fuisse Atheniensibus et Carthaginensibus, docet ALEX. AB ALEXAN.

DRO Gen. Dier. Lib. V. c. 10. POTTER. Archaeol. Gr. p. 255. De ritu Romanorum iurandum etiam in aliis negotiis, praeter foedera, exigendi ad aras, uid. HANSEN de iur. uet. c. 2. BRISSON, de Form. Lib. VIII. p. 690.

*c*) Lib. VIII. Aem. v. 641.



*Post iidem, inter se posito certamine, reges  
Armati Iouis ante aras, paterasque tenentes,  
Stabant, et caesa iungebant foedera porca.*

Et Latinum iureiurando foedus sancientem ita fingit: d)

*Tango aras, mediosque ignes et numina restor:  
Nulla dies pacem hanc Italae, nec foedera rumpet.*

Idem aras foederis e graminiibus excitatas innuit: e)

*Dimensi Rutulique uiri Teucricque parabant  
In medioque focos et Diis communibus aras  
Gramineas.*

Neque in Vrbe, in foro et comitio, perpetuam aliquam foederibus feriendis aram dedicatam extitisse, reperio, nisi quod ad aram illam Herculis maximam, comitio satis propinquam, ad quam alias pacta solenni iureiurando firmari solita esse DIONYSIVS f) prodit, iusiurandum quoque in foederibus aliquando peractum haut sine ueri specie uidetur. g) Extractae uero in foederis religionem arae Diis consecrabantur, Ioui praesertim et plerumque etiam Diis communibus. Hi tamen quales apud MARONEM intelligendi sint, non una est Criticorum sententia. h) Quippe communes Deos haut una ratione dictos esse Romanis, SERVIVS i) docet: Dii communes sunt, scribens, ut alii dicunt, Mars, Bellona, Victoria: quia in bello utrique parti fauere possunt. Vt autem altioris scientiae hominibus placet, isti sunt, qui  $\alpha\zeta\omega\iota$  uocantur, i. e. qui coeli certas non habent partes, sed generaliter a cunctis coluntur. Vbiq; enim eos esse, manifestum est, ut

Mater

d) Lib. XII. Aen. v. 201.

e) Aen. Lib. XII. v. 117. ubi videtur SERVIVS.

f) Lib. I. p. 33.

g) Vid. de hac ara BERTHALD. l. c. c. II. NARDIN. Rom. Vet. Lib. VIII.

c. 3. BASSEN de iureiur. uet. c. 4. § 3.

h) Conf. LIL. GREG. GYRALD. in syntagm. Deor. p. 22. BERTHALD. l. c. c. 6. SALMAS, in Vopisc. Tacit.

c. II.

i) Ad Aeneid. Lib. XII. v. 118.



*Mater Deorum, cuius potestas in omnibus xonis est. Alii communes Deos uolunt, Solem, Lunam, Plutonem, Martem. Hi enim apud omnes homines inueniuntur, et sunt in omnibus terris. Ipse tamen SERVIVS priorem amplectitur sententiam, ut simpliciore, magisque praesenti negotio aptam. Possit quis communes Deos etiam *συνθεῖς* k) interpretari et *συνναῖς*, quibus in commune erant templa et arae, de quibus Numinibus V. C. GE. D' ARNAVD l) nuper cum cura dixit. Sed uero fimillima est ADR. TVRNEBI m) coniectura, intelligentis Deos, quorum simulacra in gramineis aris ponebantur, ut eorum interuentu et religione focus sanciretur, ideoque a VIRGILIO communes appellatos, quod utraque pars illorum sacramento foedus confirmaret. Ita quoque Numina Latinis Troianisque in foedere feriendo communia dicuntur perinde, ut *Herculem communem* dixit MARO, n) quia simul a Troianis et Arcadibus coleretur, et sicut PROPERTIVS o) in illo:*

- - Communes nec meminisse Deos,

eos intelligit, quos puella et amator communiter uenerentur.

### §. XIII.

Omnibus, quibus ad foederis ferendi cerimoniam opus esset, rite praeparatis, ipsae foederis leges et conditiones recitabantur a Feziali. Ita LIVIVS: *Foedus multis uerbis longoque efatis carmine peragit Fezialis: sub appellatione carminis a) formulam, ut alibi b) uocatur, et capita foederis intelligens. Quae*  
M  
in

k) Sicut *communes arae* memorantur apud AESCHYLVM in *Supplicib.* BERTHALD. l. c. c. 13.

l) De Diis *παιδῶν*, c. 10. f.

m) *Aduersar. Lib. XXXIII. c. 14.*

n) *Lib. VIII. Aeneid. v. 275.*

o) *Lib. I. Eleg. II. v. 16.* ubi uid. BROVCKHVSIVS. Conf. CERDA ad VIRGIL. *Aen. Lib. XII. v. 118.*

a) Vid. IO. DOVIATIVS in not. ad LIV. *Lib. I. c. 24.*

b) PLINIUS H. N. *Lib. III. c. 4.*



in his fuerunt solennia uerba et foederum quaedam tralatitiae formulae, eas ex omni antiquitatis memoria collectas sifit BRISSONIVS. c) Eminent inter illas generale caput, foederum initis apponi solitum: AMICITIA ESTO: d) ut et: PIA ET AETERNA PAX SIT: e) item hoc caput: VT EOSDEM, QVOS POPVLVS ROMANVS, AMICOS ATQVE HOSTES HABERENT: f) et de quo supra mentionem fecimus: IMPERIVM MAIESTATEMQUE POPVLI ROM. SINE DOLO MALO, itemque COMITER CONSERVARENT: g) denique: VT SINE DOLO MALO FOEDERIS CONDITIONES SERVARENTVR, h) quae formula etiam in ipsis iurisiurandi, quo foedus patraretur, uerbis mox obueniet.

## §. XIV.

Sequebatur iam sacrificium, quod foederis confirmandi causa fieri solitum, et cuius usus inter gentes fere omnes receptus a cultu Veri Numinis a) ad superstitiosas religiones manuerat. b) Sed Romani praesertim ad foedus ferendum adhibebant uictimam: quare et foedera dicta sunt a foedo, i. e. sanguine, quia sine eo nulla fieri solerent. c) Sic Tarquinius cum Gabiis foedus pro concione iureiurando super ardetes in aris uictimas fanxisset, DIONYSIVS HALICARN. d) refert. Et VIR-

- |  |  |
|--|--|
| c) De Form. Lib. IV. p. 335. seq.                          | a) Genes. c. 15. v. 9. Exod. c. 24. v. 8. seq. Psalm. 50. v. 5. Ierem. c. 34. v. 18. |
| d) LIVIVS Lib. XXXVIII. c. 38. POLYBIVS Lib. III. p. 177.  | b) Theseum foederum inuentorem facit PLINIVS H. N. Lib. VII. c. 56.                  |
| e) CICERO pro Balbo c. 16.                                 | c) FESTVS v. Foedus, ISIDOR, Lib. XVIII. Orig. c. I.                                 |
| f) LIVIVS Lib. XXXVII. c. I. XXXVIII. c. 8.                | d) Lib. IV. p. 257.  |
| g) Add. PETR. FABER Semestr. Lib. I. c. 7.                 |  |
| h) DIONYS. HALIC. Lib. II. p. 113, Maccab. I. c. 8, v. 12. |  |



VIRGILIVS e) foederis inter Aeneam et Latinum icti ritum ita describit :

*Puraque in ueste sacerdos  
Seigeræ foetum suis intonsamque bidentem  
Attulit, admouitque pecus flagrantibus aris.  
Illi, ad surgentem conuersi lumina solem,  
Dant fruges manibus salsas et tempora ferro  
Summa notant pecudum, pateris altaria libant.*

Cernimus hic omnem sacrificii ritum. Victima integra et pura, fertis et coronis ornata sistebatur ad aras, uino in aram fuso libabant pacifcentes, molam salsam frugesque capiti hostiae imponebant, libamina ex ea faciebant prima, quae deinde matatio sequebatur. Meminit Poeta libationis etiam in foedere Romuli cum Tatio :

*Armati Iouis ante aras, paterasque tenentes  
Stabant :*

Sed quae libatio, in honorem Deorum facta, f) cum prima illa libaminum, quae fetis ex hostia euulsis fiebat, oblatione non debet confundi. Erant enim prima libamina particulae capillorum ex fronte hostiae euulforum, quae in ignem accensum, DIONYSIO g) teste, coniciebantur. Ea sic describit VIRGILIUS: h)

*Et summas carpens media inter cornua setas,  
Ignibus imponit sacris libamina prima.*

Qui mos a Graecis acceptus notabat, ita excisum iri, qui foedus uiolaret, sicut et uini libatione, sanguinem foedifragorum iri effusum significabant. i)

M 2

§. XV.

e) Lib. XII. Aeneid. v. 169.

f) Erat haec etiam Graecis usitata, unde σπινθηρ foedera uocata. Vid. FEITH, Antiquit. Homer, Lib. IV. c. 17.

g) Lib. VII. p. 479.

h) Lib. VI. Aeneid. v. 240.

i) HOMER. Iliad. III. v. 300. et XIX. v. 250. s. uid. FEITH. l. c.



§. XV.

Hostia Romanorum in foedere feriendo *sus* erat, prima, ut credebatur, *a)*

*Hostia sus meruisse mori*, et, ut VARRO *b)* ait, ab *suillo* genere pecoris immolandi initium primum sumtum uidetur: cuius uestigia, quod initis Cerevis porci immolantur, et quod initis pacis, foedus cum feritur, porcus occiditur. Prisci quoque Latini, et etiam Graeci in Italia idem factitasse uidentur. Quare VIRGILIUS: *c)*

*Setigeræ foetum suis intransamque bidentem*, illam ueterum Latinorum, hanc Troianorum *d)* uictimam accurate constituit: in foedere autem Romuli cum Sabinis ait:

*Caesa iungebant foedera porca.*

Itaque genus hostiae cum aliis foederum ritibus acceperant Romani a priscis Latii populis: postea cum iure feciali ab Aequiculis petito hanc insuper acceperunt cerimoniam, ut percussa porca foedus ferirent, quam LIVIUS in illo Romanos inter et Albanos icto foedere adhibitam diserte refert. Eandem in libera republica retentam, indicat TVLLIUS: *e)* In eo foedere, scribens, quod factum est quondam cum Samnitibus, quidam adulescens nobilis porcam sustinuit iussu imperatoris. Neque ab hac obseruatione recedere uoluit Caes. Claudius, qui cum regibus foedus in foro icit, porca caesa, *f)* Imo porci effigiem inter militaria signa quintum locum uel ideo obtinuisse, notat FESTVS. *g)* quia confecto bello, inter quos pax fieret, caesa porca foedus firmari solebat.

§. XVI.

*a)* Lib. XV, Metam. v. III.

*b)* De re rust. Lib. II, c. 4.

*c)* Lib. XII, Aen. v. 170.

*d)* HOMER. Iliad. III. v. 101.

ALEX. AB ALEX. Gen. dier. Lib. V.

*e)* 3.

*f)* De Inuent. Lib. II, c. 30.

*g)* SVETON, in Claud. c. 25.

*g)* V. Porci signum.



## §. XVI.

Vtrum uero porca, an porco in hoc sacrificio usi fuerint Romani, de eo non minus disputatum esse nouimus, a) cum ex Auctoribus antiquis utrumque confirmari posse uideatur. LIVIUS b) et VARRO c) *porcum* dixere. Vnde SERVIUS d) VIRGILIO errorem imputat, quod scripserit:

*Caesa iungebant foedera porca.*

Falso ait porca: sic SERVIUS notat: *Nam ad hoc genus sacrificii porcus adhibebatur.* Sed quis uatem, iuris pontificii et fecialis peritissimum, et quocum CICERO, SVETONIUS et FESTVS similiter locuti sunt, lapsum esse credat? Elegantiam eum spectasse obseruat QVINTILIANVS, e) cum scribit: *Quaedam non tam ratione, quam sensu iudicantur, ut illud:*

Caesã iungebant foedera porca,  
fecit elegans, fictio nominis: quod si fuisset porco, uile erat. Vbi quidem nomina *porca* et *porco* in uerbis VIRGILII et FABII inter se commutata, et tam apud VIRGILIUM, quam alios quoscunque Auctores Romanos legendum esse *caesa porco*, existimat GVATHERIVS. f) Enimuero est *porci* uocabulum generale, utrumque sexum comprehendens, quod ex eo intelligitur, quod CATO g) et CICERO *porcum foeminam h)* dixerunt. Quare non erat, cur in SERVII sententiam iret VOSSIUS, i) ut recte IO. SAVBERTVS animaduertit. k) Quid? quod a Graecis

M 3 cis

a) Vid. SAM. BOCHART. *Hieroz. Part. II. Lib. I. c. 33.* TVRNEB. *Aduers. Lib. XXIII. c. 29.* STVCK. *de Sacrif. p. 65.* SAVBERT, *de Sacrif. c. 3 §. 3.*

b) *Lib. I. c. 24.*

c) *Lib. II. de re rust. c. 4.*

d) *Ad Lib. VIII. Aen. v. 641.*

e) *Instit. Orat. Lib. VIII. c. 3.*

f) *De iur. pontif. Lib. IV. c. 18.*

g) *De re rust. c. 135.* in formula sacrificii porcae praecedanea ante messem: *Prinusquam porcum foeminam immolabis.*

h) *Lib. II. de Legib. c. 22.* Porco foemina piaculum pati.

i) *Lib. I. Instit. Orat. c. 9. sect. II.*

k) *De Sacrific. l. c.*



cis in eo diuersum ritum foederis ferendi receperant Romani, quod pro mare porcam adhiberent: cuius rei causam ex Cereris facris repetendam, GV THERIVS censuit, sine ullo tamen argumento, quo huic Deae praesertim ab his, qui foedera fancirent, sacrificium factum probaret. Quin potius uera causa uideatur fuisse uictimarum foeminei sexus prae maribus in omnibus sacrificiis praestantia, adeo, ut, quoties mas non litabat, toties ex foeminino genere succidanea hostia immolaretur. Eaque sententia placuit MARCELLO DONATO: *m*) et haec ipsa est ratio, quare Poetae foeminino genere, ubi de hostiis sermo est, uti ament, quem eorum morem PORPHYRIVS ad HORATIUM, *n*) et ex recentioribus TORRENTIVS *o*) et BVRMANIVS *p*) illustrarunt.

## §. XVII.

Illi uero longe aberrant ab antiquitate Romana, qui communem istum gentium morem secutos esse Romanos, et per disiectae porcae utrinque positas partes transeundo foedera firmasse putant. *a*) Quamuis enim negare nolim, eo tempore, quo primum hoc porcae sacrum a Graecis acceperunt Latini, et ipsos Graecum ritum *b*) obseruasse, postea tamen, ordinato iure feciali, proprium sibi ritum habuisse, ut saxo filice porca percuteretur, nemo rerum Romanarum uel leuiter peritus ignorat. Vtrumque indicat SERVIUS: *c*) *Cum antea, scribens, gladio confige-*

*l*) CERDA ad Virgil. VIII, Aen. v. 641. LAVRENTIVS nar. sac. gentil. c. 15.

*m*) Dilucidat. ad LIV. p. 3.

*n*) Carm. Lib. I, Od. 4. v. 12.

*o*) Ad HORAT. Epod. IX, v. 22.

*p*) In not. ad QVINTILIAN. l. c.

*a*) Vid. ALEX. AB ALEX. Gen.

Dier. Lib. V, c. 2. IO, MERCER. ad Genes. c. 15. HVLSEMAN. ad Ierem. c. 34. v. 18. BOMPART. in parall. sac. et prof. in Genes. p. 82.

*b*) De quo uid. DICTYS CRETENS. Lib. I, p. 15. et 30. Conf. IO, DOVGHTEN. Analect. sac. Excurs. 10.

*c*) Ad Lib. VIII. Aeneid. v. 641.



configeretur porcus, a Fezialibus inuentum, ut filice feriretur. Itaque LIVIVS d) in foedere cum Albanis porcum saxo filice percussum refert, et de sponsione Caudina, eam foedus fuisse, negans: e) *Quid sponsoribus, inquit, in foedere opus esset aut obsidibus, ubi precatione res transigitur, per quem populum fiat, quominus legibus dictis stetur, ut eum ita Iupiter feriat, quemadmodum porcus a Feziali feriatur?* Et hinc illae solennes dicendi formae: foedus ferire, percutere, icere, f) quin ipsum nomen foederis, ut SERVIVS et ISIDORVS g) putant, a foede percussa porca, originem traxerunt. Lapidis vero filicis in feriendo foedere usum recte deducit SERVIVS a cultu Iouis, quippe cuius signum habebatur, et per IOVEM LAPIDEM maximum in foedere concipi solebatur iusiurandum. Quapropter etiam in templo Iouis Feretrii, qui, si FESTVM audimus, quod pacem ferret, dictus fuit, facer ille filix custodiebatur, h) unde eum a Fezialibus ad foedus faciendum proficiscentibus petitum esse ex SCTo, supra vidimus.

## § XVIII.

Contemplabimur nunc ipsum feriendae porcae ritum in egregio illo Veturiae Gentis nummo, a) cuius ectypum in

a) *Lib. I. c. 24.*

e) *Lib. IX. c. 5. Conf. RVPERT. ad FLOR. Hist. Lib. III. c. 18.*

f) Et proverbium, *Inter sacrum et saxum stare*, inde deducit ERASMVS in *Chiliad. Cent. I. prou. 15.*

g) *Lib. XVIII. Orig. c. 1.*

h) *FESTVS. v. Feretrius.*

a) Apud PATIN. p. 289. et VAILLANT. *Num. Fam. p. 533.* Maxime supinus est eorum error, qui porcam, in hoc nummo uisendam, putarunt eam, quae Launio

condendo indicium praebuerat Aeneae, utrinque uero adstare Penates Launio cultos: quae interpretatio omnino conuenit nummo Gentis Sulpiciae, in cuius aduersa parte sunt duo capita Penatium iugata, coronis cineta, additis litteris D. P. P. id est *Dii Penates Patrii*, in auctra Penates stant hastati, inter eos procumbit serosa cum porcellis, et adscriptum; C. SVLPICI. C. F. Q. id est *Quaesitor*. Hunc nummum enim alii, inter quos GABRIEL SIMEON



in fronte dissertationis huius primo loco constituimus. Auerfa pars exhibet caput Deae Romae galeatum, pone adscripto TITI VETVRII Sp. F. Titi Nep. Caluini *b)* nomine: auerfa in medio Feccialem genu tubnixum, qui porcum tenet, et cui ad siniftram Consul Praetorie Romanus, admoto super porcarn scepro iurans, ad dextram imperator gentis exterae, quacum foedus fit, adstant. Hanc explicationem confirmabunt illa, quae de iurisiurandi concipiendi ritu statim dicentur. Ceterum foederis ferendi sacrum in hoc nummo conspici, iam docuerunt excellentissimi nummarii, CAR. PATINVS, IO. VAILLANTIVS, ANDR. MORELLIVS, et EZ. SPANHEMIVS frustra dissentiente PERIZONIO, *c)* qui nummum hunc ad Tit. Veturium Philonem, Flaminem Martialem A. V. C. DXLIX. factum, refert, et in auerfa parte hinc ducem aliquem Romanum, inde Martem hasta insignem, utrinque deiectum Populi Romani hostem uulnerantes, extare censet, inductus VR-SINIANI Operis de Familiis Romanis caelatura, in qua porcus omiffus est, prout Illustr. SPANHEMIVS *d)* animaduertit. Illud uero adhuc disquirendum est, ad quod foedus hic nummus pertineat? FVLVIVS VRSINVS *e)* quidem, et qui eum sequitur

ON, *Obscruat illustres antiqui*, p. 112. de Feccialibus et ritu foederis ferendi, alii, inter quos HVB. GOLZIVS, in *Fest. Magistr. et Triumph. Rom.* p. 95. de Praetoribus duobus, Urbano et Peregrino, explicant.

*b)* Equidem ANDR. MORELLIVS in *Epist. de num. consular.* nummum hunc potius Vettiae Genti tribuendum censet, quia mortuo Romulo interrex fuisse dicitur Vettius apud PLVTARCHVM in *Numa*. Sed ipsas literas VE facilius Veturi-

um, quam Vettium interpreteris, et Veturiam Gentem antiquissimam inde a Regum temporibus Romae habitasse, vel ex eo intelligi potest, quod Mamurius Veturius, inclitus ille ancilium opifex, sub Numa Rege vixisse fertur.

*c)* In *Triad. Dissert.* p. 223. et in literis ad EZ. SPANHEMIVM.

*d)* De *Vsu et Praesf. Numism.* Tom. II. Ex. X. p. 203.

*e)* In *not. ad CICERON. de Inuent.* Lib. II. c. 30. et in *Num. Fam.*



sequitur LAVR. BEGERVS, *f*) hic etiam antiquissimi illius foederis inter Romulum Tatiumque icti memoriam deprehendere sibi videntur : sed PATINVS foedus aliquod, uel ab ipso Veturio, cum esset Fecialis, uel ab eius gentili ictum significari existimat. Certe pacem Caudinam a T. Veturio Consule cum Samnitibus initam, ignominiosam et a populo Romano mox rescissam, hoc nummo designari, nemo crediderit, nec LIVII *g*) auctoritas, eam pacem foedere cum hostia et precatione Fecialium factam pernegantis, id credere permittit. Itaque lubens amplector sententiam VAILLANTII, denarium nostrum ad pacem cum Liguribus factam, cuius LIVIVS *h*) meminit, reuocantis, quippe quae in Veturii quaesturam A. V. C. DLXXVIII. incidit. Praeterea uero alium adhuc nummum aereum, ex PATINO *i*) produximus, in fronte dissertationis tertia serie collocatum, cuius licet incertus sit auctor, eum tamen ad celeberrimam illam Italicorum coniurationem, ex qua Marficum bellum deinde exortum, *k*) spectare, indicat non solum, quod in anteriori parte est caput Italiae laureatum, et qui in posteriori comparent ipsi coniurationis duces, quos VELLEIVS *l*) et APPIANVS *m*) referunt, quorum unus sceptrum pariter protendit; in medio uero porcum, cuius percussione foedus confirmaretur, sustinens Fecialis, prope quem hasta, noscitur. Denique sacrificium porcae elegantissime in Gentis Antistiae nummis expressum cernitur, quorum alterum exhibuit VAILLANTIVS, *n*) alterum ex thesauro Arnstadio-Schwarzburgico Vir eruditus CHRIST. FRIDER. RVHE *o*) produxit. In illo pars prior caput Augusti,

N  
auer-

*f*) In *Thef. Brandenb. Tom. II.*  
p. 124.

*g*) *Lib. IV. c. 5.*

*h*) *Lib. XLII. c. 22.*

*i*) Qui hunc nummum exhibet  
inter incertos p. 303, n. 3.

*k*) FLORVS *Lib. III. c. 18.* ubi  
uid. RVPERTVS.

*l*) *Lib. II. c. 16.*

*m*) *Bell. Ciu. p. 374.*

*n*) *Num. Fam. Tom. I. p. 75.*

*o*) In *Philol. numism. lat. Specim. I.*  
*tab. I. fig. 29.*



XCVIII CAP. V. DE IVRE FECIALI FOEDERVM

auerfa duos Feciales sistit capite uelato, dexteras porrigentes supra aram, in qua porca caesa iacet, addita inscriptione: C. AN- TIST. VETVS IUIR FOEDVS P. R. CVM GABINIS. In huius autem auersa, quam hic adponendam curauim, Feciales eodem habitu porcam super ara incensa tenentes, tanquam immolaturi, uisuntur, nec inscriptio a priori differt, nisi quod in hac IUIRI titulus omissus, et QVM pro CVM scriptum est.



Equidem, dexteras a Fecialibus iungi solitas, p) dum foedus ferie- batur,

p) Quanquam hoc satis constat, dextris inuicem datis iunctisque fi- dem velut communi hominum ritu fideique symbolo, ut PLINIVS *H. N. Lib. XI, c. 45.* SERVIUS *ad Lib. III. Aen. v. 611.* et plures veterum, uid. V. C. EV. OTTO *Iurispr. Symb. Ex. II, c. 10.* obseruarunt, etiam in foederibus sancitam esse, unde, *dextram pignus pacis dari*, ait ISIDORVS *Lib. XI. Orig. c. 1.* et LIVIVS *Lib. I. c. 1.* Aeneam et Latinum *dextra data fidem futurae amicitiae sanxisse*, memorat, sicut apud VIRGILIUM *Lib. VIII. Aen. v. 150.* Aeneas: *Accipe, daque fidem*, deinde Latinus, *v. 169.*

*Ergo et, quem petitis, iuncta est mihi foedere dextra.*

TACITVS *Annal. XII. c. 47.* *Mos est Regibus, quoties in societatem coe- unt, implicare dexteras, et Hisfor. Lib. I. c. 24. mittere dexteras, Lib. II. Ann. c. 58. dexteras renouare, pro foedus renouare dixit.* CICERO *Philipp. XI. c. 2.* *Dextrae, quae si- dei testes esse solebant, perfidia sunt et scelere violatae.* Huius ritus indices quoque sunt nummi, tam Consulares, quam Imperatorii, numero insignes, in quibus dexteras iunctas, addito plerumque caduceo, pacis et foederis facti symbola cernimus. Conf. SPANHEM. *de Vsf. et Praesl. Numism. Diff. I. p. 143. Diff. X. p. 204.*



batur, non memini apud Auctores ueteres inter cerimonias Feccialium diferte referri, nec tamen III. SPANHEMII *g)* et VAILLANTII explicationi, quibus Fecciales in priori nummo dexteras iungere uidentur ad pacem denotandam, multum repugnabo: quamuis dexteras inter iurandum fuper aram porrectas facile interpretari poffimus. Signatum uero hunc denarium A. V. C. DCCXXXVII. ex anno Trib. Pot. Augufti obferuat VAILLANTIVS, ut antiquitas Gentis Antiftiiae et, cum foedus P. R. fieret cum Gabinis, aut Antiftium ex Gabiis Romam migraffe, aut ipfum Feccialem ei feriendo interfuffe, indicaretur.

## §. XIX.

Ordo pofcit, ut de iureiurando ad aras praefito dicamus. Sacramentum hoc foederum folenne, quod Graeci κατ' ἐξοχὴν dixerunt ὄρκιον, *a)* ut et σεμνὸν καὶ μέγαν ὄρκιον, *b)* Romanis quoque maximum et fanctiffimum habitum: quare TVLLIVS, *c)* iurisiurandi religionem in primis foedera indicare, ait. Singularem iurisiurandi huius fanctitatem ut fignificarent, non habebant fati, fi aras tangerent iurantes, fed plane fuper ardentem focum, ἐπὶ τῶν ἐμπύρων, ut DIONYSIVS *d)* de foedere cum Albanis icto fcribit, ad metum periurii animis eo fortius incutiendum, contacto igne facro iurabant. Hinc Latinus apud VIRGILIVM *e)* in foedus iurans:

N 2

Tango

*g)* De ufu et praef. Numism. Tom. II. Diff. X. p. 201.

*a)* Apud HOMERVM *Iliad.* II. v. 339. ubi uid. EVSTATH p. 177. edit. Bafil. et *Iliad.* III. v. 73. et v. 280.

*b)* Vid. HANSEN *de Iurei. Vet.* c. 10.

*c)* *Offic.* Lib. III. c. 31. Et Lib. II. de Legib. c. 7. *Quam multa firmen- tur iureiurando, quanta salutis sint*

*foederum religionem?* Add. DIONYSI HALIC. Lib. VI. p. 406.

*d)* Lib. II. p. 154.

*e)* Lib. XII. *Aeneid.* v. 201. Ad hunc morem refpiciens STATIVS *Sylu.* Lib. III. *carm.* I. v. 184. de iureiurando Herculis:

*Sic ait, et tangens furgentem altaris ignem,*



CAP. V. DE IVRE FECIALI FOEDERVM

*Tango aras mediosque ignes, et Numina testor:*

ubi tamen lectionem dubiam reddunt antiqui libri, in quibus est, notante PIERIO: f)

*Tango aras; medios ignes et Numina testor.*

Et quidem prisco Latii more, quo ipsi tantum Reges et duces iurabant, Romulus etiam in foedere cum Tatio ipse iurasse dicitur apud DIONYSIVM, g) quod munus iureiurando foedera faciendi postea, instituto Feccialium sacerdotio, proprium factum Patris patrati. h) Hic ergo nomine totius populi *conceptis uerbis* foedus patrabat, h. e. *iurandi formula*, iure fecciali praescripta, *quam transgredi non licebat*, ut SERVIVS explicat *concepta uerba*, ad illud VIRGILII: i)

*Fer sacra pater, et concipe foedus.*

Hanc uero LIVIVS nobis seruat: AVDI, IVPITER, AVDI, PATER PATRATE POPVLI ALBANI, AVDI TV POPVLVS ALBANVS, VT ILLA PALAM PRIMA POSTREMA EX ILLIS TABVLIS CERAVE RECITATA SVNT, SINE DOLO MALO, VTIQVE EA HIC HODIE RECTISSIME INTELLECTA SVNT: ILLIS LEGIBVS POPVLVS ROM. PRIOR NON DEFICIET. SI PRIOR DEFEXIT, PVBLICO CONSILIO, DOLO MALO, TVM ILLE DIESPITER POPVLVM ROM. SIC FERITO, VT EGO HVNC PORCYM HODIE FERIAM: TANTOQVE MAGIS FERITO, QVANTO MAGIS POTES POLLESQVE. Sed praeter iusiurandum Patris patrati, etiam Reges ac postea Consules Praetoresue in foedus iurasse

*Et Styga, et aetherei iuravit fulmina Patris.*

f) Vid. BASSEN. *de iureiur. uet.*

g) 3. §. 2.

g) Lib. II. p. III.

h) PLVTARCH. *Qu. Rom. LXL.*

LIV. Lib. I. c. 24. Conf. Supra Cap. II. §. III. et V.

i) Lib. XII. *Aeneid.* v. 13. Vid. BRISSON. *de Form. Lib. IV. p. 335.* BASSEN *l. c. Cap. 4. §. 3.*



rasse animaduertimus. Equidem LIVIVS *k)* iurisiurandi a Rege Tullo praefecti haut diserte meminit: DIONYSIVS *l)* tamen, dum *maectatis uictimis super ar dentes focos iuratum esse*, scribit, utramque ciuitatem eam fortunam boni consulturam, quam trigeminorum pugna esset allatura, foedusque firmiter ac sine dolo malo seruaturam, tam ipsam, quam omnes ipsius posteros, diuersum iusiurandum ab eo, quod Pater patratus dixerat, innuere uidetur: imo haut obscure id significat LIVIVS: *Sua item carmina*, inquit, *Albani suumque iusiurandum per suum Dictatorem suosque sacerdotes peregerunt*. Hinc enim, eodem modo Regem Romanum, quo Dictator Albanus, iusiurandum peregisse praeter iusiurandum Patris patrati, utique colligo. IDEM uero de foedere cum Antiocho diserte refert, *m)* *Consulem Cn. Manlium iurasse in hoc foedus*. Vt proinde opus non sit coniectura THEOD. REGNERI DE BASSEN, *n)* *Consulem eum simul fuisse Fecialem*. Et hinc explicandum censui nummum Gentis Veturiae paulo ante descriptum: quippe in eo uiri, sceptrum alter protendens, alter hastam tenens et peregrino habitu notabilis, Feciales uideri non possunt. Per sceptrum autem, quod una cum lapide filice, quo foedus feriretur, e Iouis Feretrii templo fumbatur, iuratum esse, FESTVS *o)* docet. Plenius de hoc ritu SERVIVS: *p)* *Vi autem scepra adhibeantur ad foedera, haec ratio est, quia maiores semper simulacra Iouis adhibebant: quod cum taediosum esset, praecipue quando fiebant foedera cum longe positis gentibus, inuentum est, ut sceptrum tenentes, quasi imaginem simulacri redderent Iouis. Sceptrum enim ipsius est imperium. Vnde nunc tenet sceptrum Latinus, non quasi Rex, sed quasi Pater patratus. Et in hunc finem porcam sustineri ab inclinato in genu Feciali,*

N 3

li,

*k)* Lib. I. c. 24, ubi uid. MARCELL. DONAT.

*l)* Lib. III. p. 154.

*m)* *Lib. XXXII, c. 39. APPIAN,*

*de Bell. Syr. p. 133.*

*n)* Cap. 4 §. 14.

*o)* V. Feretrius.

*p)* *Ad Lib. XII, Aeneid. v. 205.*



li, q) ut super eam mox percutiendam iusiurandum fieret, tum uterque nummus, Gentis Veturiae et incertus ille coniurationis Italicae memoriam seruans, ostendit, tum ex eo confirmatur, quod CICERO r) in foedere Samnitico adolescentem nobilem iussu imperatoris porcam loco Feccialis iustituisse refert, eumque in summa religione interfuisse huiusque participem factum, ait, in foedere, quare improbato foedere et imperatore Samnitibus dedito, quosdam in Senatu eum quoque dixisse, qui porcam tenuisset, dedi oportere.

## §. XX.

Conceptis autem uerbis iuraturi Deos inuocabant et precabantur, ut foederibus praesentes ac testes adessent, ruptae fidei aliquando uindices futuri. Hinc Aeneas et Latinus foedus iungentes omnia fere Numina testantur. a)

*Tum prius Aeneas stricto sic ense precatur:  
Esto nunc sol testis et haec mihi terra precanti,  
Quam propter tantos potui perferre labores:  
Et Pater omnipotens, et tu Saturnia Iuno,  
Iam melior, iam diua, precor, tuque inclite Mauros,  
Cuncta tuo qui bella, Pater, sub numine torques:  
Fontesque fluuiosque uoco, quaeque aetheris alti  
Religio, et quae coeruleo sunt numina Ponto.*

Eum sequitur, manus ad coelum tendens, b) Latinus:

Haec

q) Quamuis Feccialem genu nixum ideo exprimi putet VAILLANTIVS, quo securius posset tenere porcam, quam mox esset occisurus.

r) De inuent. Lib. II. c. 30.

a) VIRGILIUS Lib. XII. Aeneid. v. 175. Similes haec obstationes sunt illis, quas facit Agamemnon apud

HOMER. Iliad III. v. 276.

b) Morem iurandi sublatis manibus antiquissimum a precantium ritu originem habere, docet BRISSON. de Form. Lib. I. p. 39. Egregie hanc iurandi in foederibus solemnitatem illustrat nummus, quem EZ. SPANHEMIVS, ad Iuliani Orat. I. p. 60. producit,



*Haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera iuro,  
Latonaque genus duplex Ianumque bifrontem,  
Vimque Deum infernam et divi Iacraria Ditis.*

*Audiat haec Genitor, qui foedera fulmine sancit:*

*Tango aras mediosque ignes, et numina testor.*

Sunt nimirum hi Superi, Inferi et Medioximi Dii: sicut Graeci iurare solebant per *ὄραριους, χθονίους & ὑπερχθονίους*, quos AESCHYLVS ὄραρον θεὸς appellat. Et hinc erat, quod hos foederum testes Deos, Coelestes, Terrestres atque Inferos in clarificationis carmine, cumque iniurias ruptumque foedus querebantur, Deos ac Genios, quos in foedere iurauerant, ut est apud DIONYSIVM, c) *Feciales attestabantur.* d) Sed inter hos iurisiurandi et foederum testes, praesides, iudices ac vindices Deos primus, imo in prisca illa iurisiurandi, quam LIVIVS prodidit, formula solus Iupiter a Patre patrato inuocabatur. Hic adeo *summi Deorum honor proprius*, ut APVLEII e) uerbis utar: *nam et Iouis iurandum dicitur*, ut ait ENNIVS, notissimo uersu illo apud CICERONEM: f)

*O Fides alma, apta pinnis, et iusiurandum Iouis.*

Itaque Zevis ὄραριος non tantum Graecis in foederum religione sancienda potissimum cultus fuit: g) sed etiam Ioui soli primis reipublicae temporibus apud Romanos eum honorem habitum esse, praeter concepta iurisiurandi uerba a LIVIO tradita, non

non

producit, in quo conspiciuntur Imp. Dioeletianus et Maximianus, dextra, cuiusque prioribus digitis elatis, concordiam sibi inuicem iurantes ante aram accensam, praesente sacerdote uelato, prout hunc nummum docte explicat IAC. PERIZONIVS in *Epist. uersioni Latinae Maimonid. de iurcur. adfixa*, p. 3. Conf. EV. OTTO *In- v. r. p. Symb. Ex. 1, c. 7.*

c) *Excerpt. Legation. p. 740.*

d) *Vid supra Cap IV. § XI.*

e) *De Deo Socrat. p. 62.*

f) *De Offic. Lib. III. c. 29 NAE- VIVS* apud FESTVM v. *Sagmina: Ius sacratum Iouis iurandum sa- gmine.*

g) *Vid. FEITH. Antiqu. Homer. Lib. IV. c. 17. p. 401.*



non minus illa perhibent, quae FESTVS *h)* annotauit: *Lapidem silicem tenebant iuraturi per Iouem, haec uerba dicentes: SI SCIENS FALLO, TVM ME DIESPITER, SALVA VRBE ARCEQVE, BONIS EIICIAT, VTI EGO HVNC LAPIDEM.* Clarius uero idem constat ex POLYBII *i)* testimonio, qui primo foedere Carthaginenses quidem, ait, per Deos patrios iurasse, Romanos uero Iouem Lapidem ex ueteri ritu; deinde, in secundo et tertio foedere cum iisdem, Martem et Quirinum. Ille, per quem in foedera iurabant, ab ultione et poena scelerum et uiolatae fidei, IVPITER VLTOR *k)* dicebatur, quem intellexit poeta, Latino iuranti haec uerba tribuens:

*Audiat haec Genitor, qui foedera fulmine sancit:*

i. e. fulmine uindicat, quod contra formulam iurisiurandi commissum est, prout optime TVRNEBVS *l)* et HANSENIUS *m)* interpretantur: quamuis aliter SERVIVS, *n)* existimans, Poetam ad morem maiorum respexisse, ut non incenderentur arae, sed ignis diuinus precibus eliceretur, uictimas accensurus. Certe Iouem Ultorem fulmine, quod manu tenet, sicut apud Graecos Iouis Horcii statuam, *o)* periuris minantem in nummis cernimus, *p)* et periuros Iouis fulmine percuti creditos, praesertim ex IUVENALIS *q)* et PROPERTII *r)* locis constat. In iureiurando Patris patrati aequae, ac in iurisiurandi, quod per Iouem Lapidem fiebat, formula uocatur DIESPITER, *s)* cuius nominis rationem et originem, a SERVIO

*h)* V. Lapidem.

*i)* Lib. III. c. 20.

*k)* De quo PLINIVS Lib. XXXVI. c. 15.

*l)* Aduersar. Lib. XXV. c. 9.

*m)* De Iureiur. uet. c. 2.

*n)* Ad Aenid. Lib. XII. v. 200.

*o)* PAVSANIAS Eliac. Lib. V.

uid. ANN. ROBERT. *Ren. indicat.* Lib. I. c. 11.

*p)* In nummis Alexandri Seueri et Gordiani. DV CHOVL *de relig. uet. Rom.* p. 52.

*q)* Sat. XIII. v. 223.

*r)* Lib. II. Eleg. 16. v. 47. f.

*s)* Dubia quidem est lectio in iureiurando



VIO <sup>t</sup>) traditam: *LVCETIVS*, scribente, *lingua Osca dictus Iupiter a luce, quam praestare hominibus dicitur: ipse enim est nostra lingua Diespiter: VARRO u)* et *MACROBIVS, x)* a quibus *Diespiter*, quasi *Diei pater*, explicatur, satis confirmant. Neque praeualebit auctoritas *LACTANTII y)* et *ISIDORI, z)* qui *Plutonium* latine *Diespitrem* uocatum, *Ditem patrem* interpretantur. Ac licet *Orcum* seu *Plutonium*, pariter ac *Iouem Horcium*, iuriurandi Deum Romanis creditum ex *SERVIO aa)* intelligamus; hunc tamen sub *Diespitr*s appellatione in iureiurando *Patris patrati* haut intellectum esse, *Iouis* nomen in principio formulae expressum indicat, sicut et ipsa uis nominis. Cum enim id nomen datum *Ioui*, ut *GELLIUS bb)* auctor est, *quod homines die, tanquam uita ipsa afficiat et adiuet: per eum iurantes significare uoluerunt, se utraque ab illo, si dolo malo priores a legibus foederis deficerent, uelle priuari, tantoque magis, quanto magis posset ac polleret.*

## §. XXI.

*Sanctissimum uero iusiurandum per Iouem Lapidem, ut Faunus apud GELLIUM a)* dicit, quomodo in foederibus prisco ritu peractum fuerit, *POLYBIUS b)* exponit, cuius uerba ex interpre-

reiuurando *Patris patrati* apud *LIVIVM Lib. I. c. 24.* *MVRETIVS* ex uetusto Codice primus edidit: *Tu illo die, Iupiter: B. RHENANVS, tum Die Iupiter, id est Dine Iupiter, legit. Plerique libri ueteres habent: Tum ille dies Iupiter: ex quo ADR. TVRNEBVS coniecit legendum esse: Tum ille Diespiter, Lib. II. Aduers. c. 17. eamque lectionem amplexus est SIGONIVS, quam et nos fecuti sumus.*

<sup>t</sup>) *Ad Lib. IX, Aeneid. v. 570.*

<sup>u)</sup> *De Ling. Lat. Lib. IV. c. 10.*

<sup>x)</sup> *Saturnal. Lib. I. c. 15.*

<sup>y)</sup> *Instit. Diu. Lib. I. c. 14.*

<sup>z)</sup> *Orig. Lib. VIII. c. II.*

<sup>aa)</sup> *Ad Lib. I. Georg. v. 277.*

<sup>bb)</sup> *Lib. V. Noct. Att. c. 12.*

<sup>a)</sup> *Lib. I. N. A. c. 21. Vid. CVIAC. Obs. Lib. I. c. 21. TVRNER. Lib. XXX. Aduers. c. 16. HANSEN.*

*de iurei. Vet. c. 21.*

<sup>b)</sup> *Lib. III. c. 25.*



interpretatione FABROTI adscribo: *Fecialis, qui iureiurando foedus firmat, postquam fide publica iuravit, lapidem in manus sumit, atque haec dicit: SI FIDEM SERVASSO, TVM ME DII ADIVVENT: SIN SCIENS FEFELLERO, TVM EGO SALVIS CETERIS OMNIBVS IN SVIS PATRIIS, SVIS LEGIBVS, SVIS PENATIBVS, SACRIS, SEPVLCRIS, SOLVS EXTERMINER, VT HIC NVNC LAPIS.* *Et simul lapidem manu eicit.* Quae fatis conveniunt cum ea descriptione iurisiurandi per Iovem Lapidem, quam ex FESTO *c)* paulo ante vidimus. Equidem ratio hinc reddi potest, quare non unum lapidem flicem secum ferre Scto solenni iuberentur Feciales, *d)* alterum nempe, quo feriretur porca, qui ex Iovis Fereirii templo sumebatur, alterum, per quem iusiurandum hoc fieret. Nec tamen facile definiri potest, quisnam in foedere confirmando illud patrauerit, utrum ipse etiam Pater patratus, an vero Rex aut Consul Praetorue in foedus iurantes id fecerint? POLYBLVS haut nominat Fecialem, quod nomen FABROTVS in unctione adiecit, sed τὸν ποιούμενον τὰ ὄρνια, qui iureiurando foedus firmabat, per Iovem Lapidem Romano ritu iurasse ait. Itaque LIVIUS, qui non aliud Fecialium iusiurandum, quam quod percussa porca fiebat, memorat, auctoritas merito facit, ut iusiurandum per Iovem Lapidem non a Patre patrato, sed a Rege, aut imperatore, qui foedus contraheret, peractum esse credamus. Neque apparet ratio, cur, praeter iusiurandum totius populi nomine peractum, Pater patratus adhuc suo nomine in foedus iuraret atque sibi, ni fidem servassit, dira imprecaretur. Melius hoc personae Regis, aut imperatoris, qui iussu populi feriebat foedus, convenit, ut iureiurando caueret, se foedus, quod suis auspiciis initum, intemerata fide servaturum.

§. XXII.

c) V. Lapidem.

d) Vid, hoc Cap. §. VIII.



## §. XXII.

At, mutata veteri huius iurisiurandi formula, deinde in secundo et tertio cum Carthaginiensibus facto foedere, τὸν Ἐνυάλιον, Martem et Enyaliū iurasse Romanos, idem POLYBIVS refert. Quod non ita interpretandum videtur, ac si, omīssa profus et ab usu remota Iouis Lapidis religione in sacramento foederis, noua haec iurisiurandi forma recepta fuisset, sed potius coniunctim et simul per Iouis Lapidis et Martis Enyaliique numina iuratum esse. Martem, tanquam auctorem gentis Romanae, Iouis numini additum, nemo mirabitur: et sic M. Flauiolius Centurio, apud LIVIVM: a) *Victor*, ait, *M. Fabi reuertar ex acie! Si fallat, Iouem Patrem Graduumque Martem aliosque iratos Deos inuocat.* Enyaliō autem T. Tatius primus aram, pace cum Romulo facta, in bello antea uotam, ex prisca Sabinorum religione posuit, b) Romanis etiam postea sanctissimam habitam. Neque tamen diuersus hic Deus a Marte habitus uidetur, quamuis ita quibusdam uisum esse DIONYSIVS c) referat, et uterque Scholiastes, ARISTOPHANIS d) et SOPHOCLIS, e) duo numina bellica his nominibus significata, utroque uero Martem indicari quorundam recentiorum opinionem solum esse, existimauerit. Quin potius Ἐνυάλιον esse inter propria Martis nomina, et PLVTARCHVS f) et MACROBIVS g) docent. Et nominis originem explicat EVSTATHIVS, h) Martem ita cognominatum esse ab Enyo, i. e. Bellona, uel sore, uel matre. Imo Romani per

O 2

Martem

a) Lib. II. c. 45.

b) DIONYS. HALIC. Lib. II. p. 112. f.

c) Loc. cit. Et hanc sententiam sequitur CVPERVS Harpocrat. p. 69.

d) In Pacem, Scen. Σπένδοντες,

e) In Aiace. Vid. HANSEN de iurei. Vet. c. 21.

f) Amator. p. 757.

g) Lib. I. Saturnal. c. 19.

h) In HOMERI Iliad. V. v. 333. p. 419.



Martem Enyaliumque in foedus iurantes utroque nomine Martem intellexisse non abs re uidentur, hoc quidem significantes *Quirinum*, illo *Gradium*. Etenim Enyalium, Quirinum interpretatur PLVTARCHVS. *i)* Vnde eius nomen in POLYBII loco recte per *Quirinum* reddiderunt NIC. PEROTTVS et CAR. ANNIB. FABROTVS, male uero *Patrem Gradium* IS. CASAVBONVS. Quin potius utrumque, Martem *Gradium*, qui dicebatur, dum faeuiebat, et Quirinum, qui, cum tranquillus esset, uocabatur SERUIO *k)* teste, in iureiurando haut frustra coniunxerunt, et iratum foederis, si uiolaretur, uindicem, et placidum eius seruati custodem habituri.

## §. XXIII.

Denique, sicut omne iusiurandum, obseruante PLVTARCHO, *a)* finiebatur *ἔπιορκία*, i. e. execratione ac *diris*, quibus sese deuoueant iurantes, si unquam periuri forent: ita in foedere sanciendo perinde factum esse, cum a Patre patrato: SI PRIOR POPVLVS ROMANVS, dicente, PVBLICO CONSILIO, DOLO MALO DEFEXIT. *b)* TVM ILLE DIESPITER POPVLVM ROM. SIC FERITO, VT EGO HVNC PORCVM HODIE FERIAM: TANTOQVE MAGIS FERITO, QVANTO MAGIS POTES POLLESQVE: tum a Rege, Consule Praetoreue in foedus iurante, ex illa, quam ex POLYBIO et FESTO accepimus, iurisiurandi per Iouem Lapidem formula constat. Haec nimirum est illa precatio, qua *res in foedere transigi* solita LIVIO *c)* dicitur, *per quem populum fiat, quo minus*

*i)* *l. c.* Sicut et DIONYSIVS *Lib. IX. p. 617. Quirinalē collem* dicit τῆς Ἐυζελίης λόφου.  
*k)* *Ad Lib. I. Aeneid. v. 296. FE-* STVS, V. *Gradius.*

*a)* *Quaest. Rom. XLIII. Vid. BRIS-* SON. *de Form. Lib. VIII. p. 688.* et 691.

*b)* Ita ex scriptura ueteri legit B. RHENANVS.

*c)* *Lib. IX. c. 5.*



minus legibus dictis stetur, ut eum ita Iupiter feriat, quemadmodum a Feacialibus porcus feriatur. Nam precatio hoc loco significat imprecationem et execrationem, d) sicut Graeci ἀπάς pro execrationibus pariter ac obsecrationibus dixerunt, et cum diris faustas preces coniunxisse iurantes, exemplum Bruti apud DIONYSIVM HALICARNASSEVM e) ostendit. Vt uero has imprecationes diligentius cauerent, in iureiurando foederum adhibitas noscimus formulas et condiciones: SI PRIOR DEFECERIT: PVBLICO CONSILIO: DOLO MALO: et pariter in iureiurando per Iouem Lapidem: SI SCIENS FALLO. Vim huius formulae explicat TVLLIVS: f) Quam rationem, inquit, maiorum etiam comprobatur diligentia, qui primum iurare EX SVI ANIMI SENTENTIA quemque uoluerunt, deinde ita teneri, SI SCIENS FALLERET: quia inscientia multa uersaretur in uita. Vsum eiusdem in omni iureiurando, quod diras contineret, pluribus ueterum Auctorum testimonio BRISSONIVS g) probatum dedit.

## §. XXIV.

Atque ea, quae hactenus de iure feicali et religione Foederum dicta sunt, aperte nimis ab his discernunt Sponsiones de pace factas, quam ut ea inter se commisceri possint: quamuis non generali modo nomine pactiones, a Graecis συνθήκη uocentur, sed etiam Sponsiones apud optimos auctores Foederum appellatione uenire soleant. a) Accurate LIVI-

O 3

VS

d) Ita PLAVTVS *Asinar. Act. II. Sc. 4. v. 71.* dicit precari pro imprecari: et HORATIVVS *Epod. V. v. 86.* Thyestes preces. Ad quem locum uidendus LAMBINVS. e) *Lib. VI. p. 410.* Vid. CUIAC. *Obs. Lib. I. c. 21.*

f) *Acad. quaest. Lib. IV. c. 47.*  
g) *De Form. Lib. VIII. p. 688.*  
a) Ut Sponsio Caudina apud VALER. MAX. *Lib. VI. c. 1. ex. 9.* FLORVM *Lib. II. c. 16. et 18.* AVR. VLCTOR. *de Vir. illustr. c. 30.* RVTILIVM *Lib. I. Itiner. v. 126.*

Sammis



VS *b*) Foederum et Sponfionum differentias docet, tum ubi uulgarem opinionem et Claudium Quadrigarium, de pace Caudina scribentem, eam foedere factam esse, refellit, tum in oratione Sp. Postumii Consulis aduersus Tribunos Plebis, Omne discrimen ad haec duo redit, quod foedus auctoritate Senatus ac Populi tantum fieri potuerit: contra in sponfione, qui duces erant in bello, priuata auctoritate, sua fide suoque periculo, pacem promiserint: deinde, quod foedus non potuerit fieri sine Feacialibus, sagminibus, uictimis et precatone: sponfiones autem neque a Feacialibus, neque cerimonia solenni, sed conuentione ducum, pro ratihabitione rei publicae spondentium, et in securitatem datis obsidibus, contractae sint. *c*) Ex his satis apparet, Populum Romanum, sponfione pacis, quam iniuri non mandauerat, *d*) non obligatum fuisse, neque ratam haberi eam pacem a Feacialibus debuisse, quae secundum le-

ges

*Sannis seruitio foedera saena luit.*  
AVGVSTINVM de Ciuit. Dei Lib. III. c. 17. Numantina apud CICERONEM de Offic. Lib. III. c. 30. VELLEIVM PATERC. Lib. II. c. 1. VALLER. MAX. Lib. I. c. 6. ex 7. et Lib. II. c. 7. ex. 1. EVTROP. Lib. IV. c. 17. AVGVSTIN. Lib. III. de C. D. c. 21. Vid. SIGONIVS de Iur. Ital. Lib. I. c. 1. DVCKER ad FLOR. l. c. et CLARN TZEN ad Aur. Victor. l. c. Itaque non est, quare cum V. C. IOGE. GRAEVIQ apud FLORVM nomen foederis explicemus de foedere iniquo *deditionis*, quae sponfione non probata fieri debebat.

*b*) Lib. IX. c. 5. et 8. f.

*c*) SIGONIVS l. c. GROTIVS de I. B. et P. Lib. II. c. 15. §. 2.

*d*) Neque sufficit libera et plena,

generalis tamen, rerum omnium potestas duci exercitus data, uti uisum FR. DVARENO ad l. 5. D. de pact. ubi VLPIANVS scripsit: *Publica conuentio est, quae fit per pacem, quoties inter se duces belli quaedam paciscuntur.* HALOANDER edidit: *quae fit per Principem, aut quotiens.* Inde FR. BALDVINVS Iurisprud. Mucian. p. 44. aliam rei. p. seruiam et rationem fuisse, monet, cum haec ICTUS scriberet. Sed hanc lectionem merito improbat GER. NOODT de pact. et transact. c. 6. VLPIANO quaestio non est, quinam possint facere publicam conuentionem, sed quae sit publica conuentio? Hanc uero dicit esse, cum fit pax, aut cum duces belli inducias, aliaue ad belli administrationem spectantia, inter se paciscuntur,



ges sacras, ut DIONYSIVS loquitur, e) et fecialibus cerimoniis non esset sancita, a Senatu uero Populoque ut ignominiosa et iniqua reprobaretur. Quin, eiusmodi pace inita, nullae erant aliae Feacialium partes, quam pacem irritam pronuntiare, atque obnoxia sponforum corpora dedendo, populum religione, si qua teneretur, exoluere. f) Haec Postumium Consullem LIVS ita perorantem facit: *Cum me seu turpi, seu necessaria sponsione obstrinxi: qua tamen, quando iniussu populi facta est, non tenetur populus Romanus: nequicquam ex ea, praeterquam corpora nostra, debetur Samnitibus. Dedamur per Feciales nudi uinctique, exoluamus religione populum, si qua obligauimus, ne quid diuini humanie obstat, quo minus iustum piunque de integro ineat bellum. Deinde Tribunis Plebis intercessionem, ne Sctum in sententiam eius fieret, tentantibus, qui neque exolui religione populum aiebant deditioe sua, nisi omnia Samnitibus, qualia apud Caudium fuissent, restituerentur: neque se pro eo, quod spondendo pacem seruassent exercitum populi Romani, poenam ullam meritos esse, respondet: Quod deditioe nostra negant exolui religione populum, id istos magis, ne dedantur, quam quia ita se res habeat, dicere, quis adeo iuris feacialium expertus est, qui ignoret? Neque ego inficias eo, P. C. tam sponsiones, quam foedera sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur: sed iniussu populi nego quicquam sanciri posse, quod populum teneat. Tandem ita finit: Quid uobiscum, P. C. quid cum populo Romano actum est? quis nos appellare potest? quis se a uobis dicere deceptum? hostis? an ciuis? hosti nihil spondidistis: ciuem neminem spondere pro uobis iussistis. Nihil ergo uobis nec nobiscum est, quibus nihil mandastis, nec cum Samnitibus, cum quibus nil egistis. Samnitibus sponsores nos sumus rei satis* locu-

e) Lib. II. p. 131.

f) Et hinc tertia differentia inter sponsionem et foedus, ab effectu,

Vid. AERODIVS Pand. Rer. iud. Lib. III tit 5. c. II. THOMAS, Diss. de Spons. Rom. Cand. §. 51.



*locupletes in id, quod nostrum est, in id, quod praestare possumus, corpora nostrra, et animos, in haec saeviant, in haec ferrum, in haec iras acuunt.*

## §. XXV.

Adscripti potissima verba orationis utriusque, quam Postumio LIVIVS tribuit: quoniam luculenta iuris fecialis principia iis continentur. Neque pax aut foedus fiebat sponfione, sed, ut Fecialis in deditioe aiebat, *foedus icium iri spondebatur*, a) neque, si foedus iniussu Populi initum esset cum hostibus ab imperatore, id iure et vinculo foederis Populum obligare poterat, siue adiecta esset clausula: *Ita id ratum fore, si Populus censuisset*, ut in Luctatii foedere cum Poenis, b) siue pure contractum esset, ut illud, quod A. Postumius Albinus cum rege Iugurtha inierat, de quo, ut SALLVSTIVS c) ait, *Senatus ita, uti par fuerat, decrevit, suo atque Populi iniussu nullum potuisse foedus fieri*. Quae cum certa atque indubia sint ex uniuersalibus iuris gentium publici principiis, et non solum GROTIVS d) ostendat, Romanos in celebrioribus illis duabus sponfionibus, Caudina et Numantina, iuste egisse, corpora ducum spondentium dedendo, sed etiam PVFENDORFIVS, e) quamuis superbiae eos accuset, quod ob exercitum a Samnitibus sub iugum missum, aequitatem seruandae sponfionis posthabuerint dolori et irae ex contumelia ista contractae, tamen fateatur, *si stricto iure rem uelimus metiri, neque ad istam sponfionem rati habendam, neque ad rem in priorem statum restituendam obligatum fuisse S. P. Q. Romanum, sed suffecisse, si sponsores dederentur*: f) utique criminationes

a) LIVIVS Lib. IX. c. 10.

b) IDEM Lib. XXI. c. 19.

c) Iugurth. c. 39.

d) loc. cit. §. 16.

e) De Iure Nat. et Gent. Lib. VIII. c. 9 §. 12.

f) Quod si fide sponforum et sexcentorum, quos imperarunt, obsidium fuerunt contenti Samnites, habent, quod sibi imputent, inquit GROTIVS l. c. n. 3. Idque pro Romanis eo rectius dicitur, quia Consules, teste



nationes et postulata Samnitis Pontii non debent onerare Populum Romanum, cuius obligatio plane fecernenda est ab obligatione ducum, qui sponderant, g) ut proinde neque Samnites, neque Numantini iure potuerint dicere, quod ab utrisque dictum refert VELLEIVS: h) *Publicae uiolationem fidei non debere uicinis hui sanguine: cum publica fides nullo modo interuenisset.*

## §. XXV.

Quod igitur ius faciale fieri iubebat, ut, qui foedam pacem spondidisset imperator, neque addidisset conditionem, si Populus Romanus pacem approbaret, (qua adiecta sponfionem duci oportebat fraudi non esse,) hostibus dederetur: a) eam expiationis cerimoniam solenniter peragebant Feciales. LIVIVS b) hanc in rem Scutum factum esse, docet, *traditosque esse sponsores Fecialibus Caudium ducendos.* Ipsa deditio quo ritu et qua uerborum conceptione peracta sit, porro exponit: *Praegressi Feciales, ubi ad portam uenere, VESTEM DETRAHI pacis sponforibus iubent, MANVS POST TERGV M VINCI RI.* Cum apparitor uerecundia maiestatis Postumium laxo uinciret: *Quin tu, inquit, adducis eorum, ut iusta fiat deditio! Tum ubi in coetum Samnitium es.*

P

ad

LIVIO Lib. IX. c. 5. cum Pontius de foedere agitare, palam professi sunt, foedus iniussu populi fieri non posse. Hinc Postumius, culpam in Samnites reiciens: *An, si sana mens fuisset, difficile illis fuit, dum senes ab domo ad consultandum accersunt, mittere Romanam legatos? cum Senatu, cum Populo de pace foedere agere? tridui iter expeditus erat, interea in induciis res fuisset, donec ab Roma legati aut uicioriam illis cer tam, aut pacem afferrent.*  
g) Quos obligationi suae minime satisfecisse, ostendit THOMASIVS *Diss. de Spons. Rom. Caudina, §. 45.*

seq. et de Spons. Numant. §. 46. f. Vbi tamen et Populum Rom. iustitiae et perfidiae inculcat, quia non quidem directo ex sponfione, sed tamen oblique de in rem uerso obligatus fuisset, ut uel milites in locum, ubi sponfio facta restitueret, uel promissum feruaret.

h) Lib. II. c. I.

a) LIVIVS Lib. IX. c. 9. CICERO de Offic. Lib. III. c. 29.

b) Et CICERO Lib. I. de Orat. c. 40. VALER. MAX. Lib. VI. c. 3. Rogatione ad populum lata, CIC. de Off. lib. c. 30.



CXIV CAP. V. DE IVRE FECIALI FOEDERVM

*ad tribunal ventum Pontii est, A. Corn. Aruina Feccialis ita uerba fecit: QVANDOQV IDEM HICE HOMINES INIVSSV POPVLI ROMANI QVIRITIVM FOEDVVS ICTVM IRI SPOPONDERVNT, ATQVE OB EAM REM NOXAM NOCVERVNT, OB EAM REM, QVO POPVLVS ROMANVS SCELERS IMPIO SIT SOLVTVS, HOSCE HOMINES VOBIS DEDO. Factam esse deditionem a Patre patrato, CICERO c) duobus locis ait: quod non ita praecise intelligendum est, ut cum Cl. BARBEYRACCIO d) et IENSIO e) Patrem patratum solennia ipsum peregrisse et carmen deditionis pronuntiasse, ac proinde Cornelium Aruinam, qui Feccialis apud LIVIVM dicitur, Patrem patratum fuisse, putemus. Quinimo, quod praesente et iubente Patre patrato factum et solenniter dictum, id tanquam ab ipso Feccialium principe peractum habebatur, eamque ob causam TVLLIVS Patri patrato actum deditionis tribuit.*

§. XXVI.

Finis deditionis erat, ut deditis sponsoribus hosti satisfacerent atque populum exoluerent religione, si qua obligassent, certe liberarent eum obligatione noxae dedendi eos, qui cum legitimo hoste pacem iniquam iniussu populi iniissent, ut CICERO a) ex iure fecciali admonet, ac propterea Q. Pompeium, cum in eadem causa esset, ut dederetur Numantinis, deprecantem, dum rogatio de ipsius deditione lata non accipiebatur, minus honesta plebis gratia poenam euasisse, b) notat. Deditione uero semel rite facta, hoc sufficere uidebatur, quod omnia iusta in deditionem peracta essent. c) Quodsi igitur hostes, ut Samnites et Numantini fecerunt, accipere deditionem recusarent, horum factum erat, quod obnoxia corpora suae potestatis facta, recipere nolu.

c) de Orat. l. c. et pro Caecina

c. 34.

d) Ad GROT. Lib. III. c. 3 § 7.

e) De Feccialib. c. 6.

a) De Offic. Lib. III. c. 39. et 40.

b) VELLEIVS Lib. II. c. 1.

c) Conf. AEROD. Lib. III. tit. 5. c. 18.



noluissent. Hinc LIVIVS d) de Postumio et reliquis sponfionis Caudinae reis a Pontio dimissis inquit: *Et quidem, forsitan et publica, sua certe liberata fide, ab Caudio in castra Romana iniuolati redierunt.* Quae uerba PVFENDORFIVS, eumque secutus THOMASIVS acceperunt, quasi LIVIVS ipse de iustitia deditionis factae eiusque effectu dubitarit: cum potius uerba: *forsitan et publica fide*, respiciant ad illa Postumii: *exoluamus religione populum, si qua obligauimus*: ita, ut LIVIVS certam sponforum obligationem opponat incertae et qualicunq; Populi, ex eorum facto, obligationi. Effectum deditionis ita describit CICERO: e) *Quid? quem Pater patratu dedit, aut suus pater Populus uendit, quo is iure amittit ciuitatem? Ut religione soluat ciuitas, ciuis Romanus traditur: qui cum est acceptus, est eorum, quibus est deditus: si non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram causam et ius ciuitatis.*

## §. XXVII.

Veruntamen postrema haec CICERONIS uerba scrupulum iniiciunt, quomodo ea deditio effectum satisfactionis habere potuerit, quam, si hostes eam accipere noluissent, ne quidem amissio ciuitatis in illo, cuius corpus deditum, sequeretur: quia TVLLIVS expresse dicit: *Si non accipiunt, retinet integram causam et ius ciuitatis.* Quod similiter dixit in *Topicis*: a) *Quo in genere etiam Mancini causa defendi potest, postliminio rediisse, deditum non esse, quoniam non sit receptus: nam neque donationem, neque deditionem sine acceptione intelligi posse.* Sed facile remouetur hoc dubium distinctione inter effectus deditionis, si spectamus obligationem ex sponfione, et si quaeratur de ui deditionis in statum et personam eius, qui deditus, nec receptus fuit. Quod ad obligationem attinet, quoniam hostium uoluntate deditum non recipientium

P 2

febat,

d) Lib. IX. c. II.

e) Pro Caccina c. 34.

a) Cap. 8.



siebat, ut is reuerteretur ad suos, neque per Senatum Populumque Romanum steterat, quo minus deditio pleniorem exitum, poena et supplicio dediti, sortiretur, obligatio utique habenda erat pro perfecte soluta. Quod uero ad conditionem eius attinet, qui deditioem subiit, graues omnino causae aderant, cur, licet non receptus, ciuitatem amisisse censeretur: sed praeualuit tamen sententia benignior, quam TVLLIVS refert, eum retinere ius ciuitatis, quasi nulla deditio facta esset. Etenim hac de re olim disputatum fuisse, atque Brutum et Q. Mucium diuersarum partium principes extitisse, perhibet MODESTINVS *Lib. III. Regularum* his uerbis: *b) Eos, qui ab hostibus capiuntur, nec (ita emendat FRANC. BALDVINVS) c) hostibus deduntur, iure postliminii reuerti antiquius placuit. An, qui hostibus deditus reuersus, nec a nobis receptus, ciuis Romanus sit? inter Brutum et Scaeuolam uarie tractatum est. Quae statim subiicit: Et consequens est, ut ciuitatem, scil. ultro, ipso iure, non adipiscatur, esse regulam iuris, ex Q. Mucii sententia, quae suffragiis plurimum Iurisconsultorum in disputatione fori probata erat, receptam, acute docet GER. NOODT. d) Atque huic disputationi Hostilium Mancinum occasionem praebuisse, tum ex CICERONE e) constat: Etenim sic C. Mancinum, referente, nobilissimum uirum ac consularem, cum eum propter inuidiam Numantini foederis Pater patratus ex S. C. Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum reuenisset, neque in Senatum introire dubitasset, P. Rutilius M. F. Tribunus Plebis de Senatu iussit educi: quod eum ciuem negaret esse: quia memoria sic esset proditum, quem pater suus aut Populus uendidisset, ei nullum esse postliminium. Clarius uero Q. Mucii sententiam, et quid eam secutum sit, indicat POMPONIVS: f) Quem hostes si non receperissent, scribens, quaestum est, an ciuis Romanus maneret? quibusdam*

b) L. 4. D. de captiu.

c) In Iurisprud. Muciana p. 48.

d) Comment. ad Dig. tit. de tutor.

et curat. p. 551.

e) De Orat. L. c.

f) L. ult. D. de legation.



dam existimantibus, manere, aliis contra: quia quem semel Populus iussisset dedi, ex ciuitate expulsiſſe uideretur: g) sicut faceret, cum aqua et igni interdiceret; in qua sententia uidetur Publius (imo Quintus) Mucius fuisse. Id autem maxime quaestum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non acceperunt: de quo tamen lex postea lata est, ut esset ciuis Romanus et praeturam quoque gessisse dicitur. Itaque ex his cognoscimus, Populi Romani suffragiis demum uicisse Bruti sententiam humaniorem, ut Mancinus, in deditionem non acceptus, ciuis haberetur atque, ut moris erat Viris Consulibus aut Praetoris e Senatu motis, per honorem Praeturae in Senatum rediret. h) At olim anno V. C. DXVII. M. Claudium, quia turpem pacem fecerat cum Corſis, deditum his, nec acceptum, in publica custodia, Senatus necari iussit: Semel laesa maiestate imperii, inquit VALERIVS MAXIMVS, i) quot modis irae pertinax uindex! factum eius rescidit, libertatem ademit, spiritum extinxit, corpus cantumelia carceris et detestanda Gemoniarum scalarum nota foedauit. Atque hic quidem Senatus animaduersionem meruerat!

## §. XXVIII.

Belli et Pacis cura Feacialibus sanctitatem Legatorum quoque tuendam commisit. Auctor est DIONYSIVS, a) eorum officium fuisse, iudicare de Legatorum iniuriis. Idem perhibet VARRO: b) Si cuius legati uiolati essent, qui id fecissent, quamuis nobiles essent, ut dederentur ciuitati, statuerunt, Feacialesque uiginti, qui de his rebus cognoscerent, iudicarent, et statuerent, et constituerent. Hinc POMPO- NIVS c) Libro XXXVII. ad Q. Mucium ita scripsit: Si quis legatum hostium pulsasset, contra ius gentium id commissum esse existimatur: quia sancti habentur legati; et ideo si cum legati apud nos essent gentis

P 3

alicu-

g) Ita enim Postumius statim cum deditionis uerba foelennia dixisset Feacialis: Se Samnitum ciuem esse, ait: quamuis id omnino indignum fuerit Romana grauitate, quod Postumius genu fecit Feicali, quanta maxime

poterat ui, percellerat, illum legatum feacialem, dicens, a se contra ius gentium uiolatum, eo iustius bellum gesturos Romanos.

b) NOODT. l. c. p. 552.

i) Lib. VI, c. 3. ex. 3.



CXVIII CAP. V. DE IVRE FECIALI FOEDERVM.

*alicuius, bellum cum eis indictum sit? responsum est, liberos eos manere: id enim iuri gentium conueniens esse. Itaque eum, qui legatum pulsasset, Quintus Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere. Deditionem uero hanc prorsus ita factam per Feciales, sicut eorum, qui foedus sponderant, satis constat exemplis, quae LIVIVS d) et VALER. MAXIMVS e) memoriae prodiderunt: Q. Fabium et Cn. Apronium Aediles, quia legatos ab urbe Apollonia ad Senatum missos orta contentione pulsauerant, continuo per Feciales legatis deditos, ac pariter L. Minicium Myrtilium et L. Maenium, quod legatos Carthaginensium pulsasse dicerent, iussu M. Claudii Praetoris Urbis, per Feciales legatis traditos et Carthaginem auectos esse. Neque uero de iniuriis modo in legatum, ut PAPINIVS f) ait, Sanctum populis per saecula nomen, perpetratis, uerum etiam de iis, quae contra ius gentium fecisset legatus, ut, si arma in legatione cepissent aduersus eos, ad quos missus esset, Collegium Fecialium iudicabat: cum ius legationis oporteat esse par et aequabile. g) Testis est PLVTARCHVS, h) cum tres Fabii legati ad Gallos missi, uergetibus Romanam fatis, ut LIVIVS ait, contra ius gentium arma cepissent, et unus ex his Q. Ambustus ducem Gallorum occidisset, Feciales, religione Senatui iniecta, iussisse, ut, iniuriae piaculo in unum auctorem uerso, id amolirentur a reliquis, et legatis Gallorum, pro iure gentium uiolato id postulantis, Fabii dederentur. Et uero, fatente LIVIO, i) secutae negati iuris gentium neglectaeque religionis poenae auctoritatem iuris fecialis sanxerunt, k)*

- a) *Lib. II. p. 131.*  
 b) *Lib. III. de uita Pop. Rom. apud NON. MARCELLVM c. 12. n. 43.*  
 c) *L. ult. D. de legation.*  
 d) *Lib. XXVIII. c. 42.*  
 e) *Lib. VI. c. 6. LIV. Epitom. Lib. XV.*  
 f) *Thebaid, Lib. II. v. 486.*

- g) *Vid. CUIACIVS Obs. Lib. XI. c. 5.*  
 h) *In Camill. p. 137.*  
 i) *Lib. V. c. 26. sequ.*  
 k) *PLVTARCH. in Num. p. 68.*  
 λήγεται δὲ καὶ ὁ κελτικὸν ἐκείνο  
 πᾶθος τῆς πόλει γενέσθαι τοῦ  
 τῶν τῶν ἱερῶν παρανομηθέντων,



ULB Halle  
004 337 697

3









Inches

Centimetres

B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue


Farbkarte #13

*Dr. Wagner's (sic) ...*

1734, 3  
~~2044~~  
3/

DE  
FECIALIBVS  
ET  
IVRE FECIALI  
POPVLI ROMANI  
PRAESIDE  
D. FRANCISCO CAROLO  
CONRADI

PROFESSORE IVRIS PVBLICO ORDINARIO  
ET ORDINIS SVI NVNC DECANO  
D. XXII. IANVAR. A. MDCCXXXIV  
IN IVLEO MAIORI  
PVBLICE DISPVTABIT  
AVCTOR  
ANDREAS WAGNER  
LIPSIENSIS



HELMSTADII  
LITERIS BVCHHOLTZIANIS

